AZ.
LE III
XI

Digitized by Google

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XXI
B
7
NAPOLI

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
B
7
NAPOLI

DE SEDITIOSIS
LIBER SINGVLARIS,

ad interpretationem Iuris:
CLAVDIO MONDAIN LVGDVN.
in ſummo Curiæ Pariſienſis
ordine Aduocato,
Authore.

*Ad Regiæ Procurationis Trium viros ſupremi
Galliarum Senatus Pariſienſis.*



LVTETIÆ,
In officina Federici Morelli, vico Bel-
louaco, ad vrbanam Morum.
M. D. LXVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

De libello, Principis Priuilegium.

REGIO *diplomate, Claudio Mondain aduocato ſummæ Curiæ conceſſum eſt, ne quis typographus, vel bibliopola, totius imperij Gallici, præterquam cui ipſe id licere voluerit, intra proximum ſexennium, huiuſmodi Commentarium excudat, vel diuendat. Qui ſecus faxit, libros vel impreſſos, vel inter promercales habitos, publicatum iri, & refractarium, nec dicto audientem, grauiſſima mulcta, & eo quod intereſt, fore damnatum, vt amplius in reſcripto, ſumma Regis authoritate, in Conſilio interiori cõceſſo, continetur. Quod à D. Huraultio ſubnotatum, maiore ſigillo principali munitum eſt.*

REGIÆ PROCVRATIONIS
TRIVMVIRIS SVPREMI
Galliarum Senatus Pariſienſis,
Claudius Mondain Lu-
gdunenſis S. D.

PERACTO nuper rerum forenſium curſu (Viri clariſſimi) cùm ad literarias redirẽ, in eam Iuris partem incidi quæ de ſeditioſis agit. In qua lectione, illius memorabilis anni, & ſuperiorum temporum commemoratio ideo iuuit, quòd grata eſſe ſolet elapſi periculi recordatio. Cuius rei fragmenta quædam in aduerſariis reiecta cùm amici reperiſſent, voluerunt id publicum accipere, timido meo genio fruſtrà reclamante. Eo vix perſuaſus, ſolitum fœlix veſtrum, fauſtúmque patrocinium, veſtráque auſpicia, ne dicam numina, deſideraui: quo-

rum opera & prudentia tot tantíſque malis occurſum eſt, vt vobis ſecundum Deum maiorem quietis partem reſpublica perpetuò debeat: quorum in ampliſsimo & ſanctiſſimo orbis primario ſenatu tam multa præuiſa prudenter, acta conſtanter, & conſulta grauiter quotidie feruntur. At me nomini veſtro hæc dicare cupientem ab initio terruit Octauiani exemplum: qui offendebatur voueri aliquid ſibi, niſi quod grauiſſimum & à præſtantiſſimis compoſitum eſſet: admonebátque Prætores, ne ſinerēt nomen ſuū commiſſionibus obſoleſcere. Ideóque verebar vos, Auguſto virtute & eruditione non inferiores, leuidenſi hocce munuſculo laceſſere. Verùm ſingularis veſtra, mihíque notiſſima, humanitas, meúmque de veſtro in literas propenſo animo perpetuum iudicium, metum adęmit: tum etiam quia quo quiſque maior eſt, eo ſe facilius, vt puto, obſeruari ab omnibus, colíque patitur. Accedit quod omnia vobis iampridem debeo, cui in orandis aliquando cauſis optata veſtra authoritas illuxit, & mihi principio metuenti vires refecit: vt ſi quid in his vel

gratiæ vel fauoris aſſecutus ſum, id vobis adſcribendum ingenuè fatear. Tuæ verò potiſſimùm, D. DVMESNIL, virtutes me in admirationem rapiunt, vt de illis ſatius eſſe putem nihil, quàm pauca, dicere, veritus eas deterere culpa ingenij. Qui cũ ſis noſtri ſęculi Pericles, neq; vulgi ſermonibus te dediſti, nec in prȩmiis humanis ſpem poſuiſti rerũ tuarum: ſuis te illecebris ipſa virtus traxit ad verum decus. Suſcipite igitur, Viri, ingenita illa veſtra manſuetudine, in veſtram clientelam & fidem, literarium hunc conatum, eo animi candore, quo vobis, & veſtræ dignitati, à me libentiſſimè offertur. Valete. Lutetiæ prid. Id. Nouembr. 1566.

Lectori Candido Claudius Mondain I. c. Lugdunenſis, S.

FACTVRVS NE operæprecium ſim, Lector, ſi in hanc iuris particulam tantillum explanationis perſcripſero, neque ſatis ſcio, neque ſi ſciam, dicere auſim. Rem enim veterem eſſe & vulgatam conſtat, Cōmentaria in ius ciuile ſcribere: dum noui in dies ſcriptores, nouos, & (vt inquiunt) genuinos ſenſus, aut aliquid in legum interpretatione certius ſe allaturos, aut politiorum literarū beneficio adiuti, ſe terſius omnia explicaturos credunt. At docti vulgaria & protrita contemnunt omnia: indoctis nihil ſatis expoſitum eſt. Sed iuuabit laboribus his atque hoc exemplo alios excitaſſe, & iuris illuſtrationi in hac parte pro virili conſuluiſſe. Proinde mediocriter eruditis in commune conſulam, & quaſi viam ad maioris lectionis ingreſſum muniam: & hanc mediam ſequar viam, ne in errores, quos aiunt, inueteratos impingam eorum, qui dum aut vberius luxuriantur & vagantur, magnitudine laborant ſua, aut dum breuitati nimium ſtudent, obſcuri fiunt: aut dum leuia ſectantur, viribus, neruiſque deficiunt.

DE SEDITIOSIS LIBER

SINGVLARIS, AD INTERPRETA-
tionem Iuris, Claudio Mondain Lugdu nenſi, in ſummo Curiæ Pariſienſis ordine Aduocato, authore.

EORVM quæ ad vitã hominum tuendam pertinent, quædã ſunt inanima, vt ea quæ gignũtur è terra, quædam animata. Eorum item alia ratione expertia ſunt, vt pecudes, alia ratione vtentia, vt homo: quem homini plurimum obeſſe vel prodeſſe ex eo conſtat, quòd hominem homini deum eſſe: hominem homini lupum, prouerbio dictum ſit. Ea etiam ipſa quæ inanimata dicimus, pleraque ſunt hominum operis effecta, vt vrbes, quæ ſine hominum cœtu nõ potuiſſent ædificari, nec frequentari. Ex quo leges, moréſque conſtituti, tum

iuris æqua deſcriptio,certáque viuēdi diſciplina. Quas res & manſuetudo animorum ſecuta eſt, & verecundia: effectúmque vt eſſet vita munitior, atque vt permutandis facultatibus &commodis nulla re egeremus. Nihil eſt enim Deo optimo maximo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quàm concilia cœtúſque hominum iure ſociati. Ideóque iis qui Rempublicā conſeruarint, iuuerint, auxerint, certum eſſe & definitum in cœlo locum, in quo beati ſempiterno æuo fruantur: quòd rerū publicarum rectores & conſeruatores hinc profecti huc reuertantur, qua ratione ſocietatum nulla eſt charior, nulla gratior, quàm ea quæ cum Republica eſt vnicuique noſtrum. Chari ſunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium charitates patria vna complexa eſt. Quo eſt deteſtabilior eorum immanitas qui lacerarunt omni ſcelere patriā, & in ea delēda occupati & ſunt & fuerūt. Minimè lugendos eos eſſe maiores noſtri putauerunt, qui ad patriam delendam, & parentes ac liberos interficiendos veniſſent. Marcellus in l.minimè.ff.de relig. &

ſumpti.

ſumpti.funer. Quemadmodum ergo magnas vtilitates adipiſcimur conſpiratione hominum, atque conſenſu: ſic nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ nõ homini naſcatur ab homine. Vnde collectis exteris cauſis interitus hominum, eluuionis, peſtilentiæ, belluarum: plures tamen ſunt deleti homines hominum impetu, id eſt, bellis & ſeditionib⁹, quàm omni reliqua calamitate. Nullũ Plato, dialogo quinto de Rep. ciuitati pernicioſius malum eſſe ait, quàm illud quod eã diuidit, & ex vna plures facit: & nihil melius, quàm quod eam vincit ſimul, & vnã efficit. A tribus, inquit Eccleſiaſtes, timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit deleturam ciuitatis, & collectionem populi. Verùm nullus vnquam populus, nulla Reſpublica ita concors & conueniens fuit, quin ſępè ciues vna vel altera de cauſa in diuerſa interdum abierint ſtudia. Hinc factiones ortæ, quas Græci hæreſes ab eligendo vocãt, quòd quiſq; eligat quæ ſequatur. Vnde quanuis mundus hic certa Dei conditoris prouidentia gubernetur, hoc tamen rectum iudicium quaſi procellis obruitur, cùm rerum humanarum quaſ-

dam confuſiones intuemur: quibus aliquando omnia ſic ſurſum deorſum miſcentur in terris, vt videantur caſu quodam potius ferri, quàm certo regi conſilio. Et quanto Deus amat honeſtas reſpublicas, ne barbara rerum cõfuſio eius impediat cognitionem & cultum,

Nec vaga proſiliat frænis natura remotis:
tanto magis aduerſarius noſter vitioſos motus incitare, atque omnia huc & illuc perturbare conatur. Quo diſſipatam politiam reddat, & homines in ruinam perituros videat: quod ne fiat, dedit ſemper Deus ſuis temporibus prudentes rerumpub. gubernatores, qui ciuilis ſocietatis tranquillitatem defenderent, & homines quãtum fieri poſſet in officio contınerẽt. Dedit etiam per ora Principum hominibus neceſſarias leges, quibus tuta foret aduerſus improbos innocentia: mali metu pœnarum, boni præmiorum exhortatione fierent. Quod Homerus in Iliade videtur hoc expreſſiſſe figmento: Ate Deam quæ Iunonis mentem diſturbaſſet, & mortalibus è pleno cornu diſcordias rixarúmque ſemina infudiſſet, à Ioue indignato, capillis apprehenſam in

terras præcipitem datam,& cœlico illi cõmercio penitus interdictur Hanc in terra comites perpetuò ſequi Litas deas pacificas,quæ quicquid ab illa diſſolutum ſit, reſarciant. At Litæ quidẽ tardigradæ præcocem illam ac celerem ſecutæ, tandem omnia temperare lento remedio, omnia conſumere mala, incommodáque auertere & cõtrouerſias pacare.Hæ Iouis natæ ſunt,ipſi Ioui & cœlo amicę, quas, vbi Iupiter mortalibus boni quidpiam pollicetur, illico demittit propitias. Cùm igitur homines plurimum hominibus & proſint et obſint, proprium hoc virtutis eſſe cõſtat, conciliare animos hominum, & ad vſus ſuos adiungere. Ideóque hæc conciliatrix,& pax (quam Græci εἰρήνην appellant) ter maximi Dei filia eſſe dicitur. Nihílque puto voluiſſe Homerum in Βατραχομυομαχίᾳ, id eſt,Ranarum & muriũ pugna, quàm odium turbarum & ſeditionũ adoleſcentibus inſerere.Et quod tandem vincunt ranæ, auxilio diuino, ſignificare in caput plerunque authorum ſeditionis vertere periculũ quod aliis moliebantur.

Vt igitur ad rem propiùs accedamus,Seditio, Doctoribus noſtris, eſt, quietis pu- *Seditio quid ſit.*

blicæ perturbatio, vt notant in tit. C. de ſeditioſ. quę Gręcis φαρατρία dicitur, vt ex concilio Calcedonenſi Gratianus ait, in Can. coniurationum, & Can. conſpirationum. xi. q. 2. Eam autem à bello differre docet Albericus, quòd bellum ad hoſtes pertineat, ſeditio autem ad ciues. Hoſtes verò ſunt quibus pop. Rom. publicè bellum decreuit, aut ipſi pop. Rom. cæteri verò, latrunculi vel prædones. Vlpianus in l. hoſtes. D. de captiuis & poſtlim. reuerſis. Pomponius in l. hoſtes D. de verbo. ſignifi. Bellum, inquit Angelus in ſua Summa, in verbo Seditio, propriè eſt contra hoſtes extraneos, quaſi multitudinis ad multitudinem: Seditio autem eſt inter partes vnius multitudinis, inter ſe diſſentientes: Rixa verò, vnius ad vnum, vel paucorum ad paucos: Bart. & Ang. in l. ſi in rixa. ff. ad legem Cornel. de ſica. & l. quoniam multa. C. ad legem Iuli. de vi pub. Addit Ludouicus de Montal. ſeditionem eſſe quandam populi concitationem ad aliquid illicitum patrandum, quanuis rectà contra remp. non fiat l. iij. § 11. D. de re milit.

Schiſma. Schiſma autẽ eccleſiæ diuiſio dicitur,

quod ſciſſura latinè appellari poteſt, à σχίζω, id eſt ſcindo. Pelagius in Cano. Schiſma 24. q. 1. Schiſma, inquit, quod græcum nomen eſt, ſciſſuram ſonat: ſed in vnitate ſciſſura eſſe non poteſt: non ergo vnitati cõmunicat, qui ſchiſmaticis cõmunicat. Videtur mihi, ĩquit Plato de rep. ſicuti nomina hæc duo ſunt, bellũ, ac ſeditio: ita & duo quædam duabus ſubeſſe differentiis, aliud quidem proprium & cognatum: aliud alienum, atque extraneum. Inimicitiam quæ inter nos eſt, ſeditionem: quę inter extraneos, bellum. Ait enim Græcos omnes inter ſe propinquos eſſe genere, atque cognatos: à Barbaris diuiſos atque extraneos. Quoties ergo Græcia aduerſus barbaros, vel contra Græcos barbari ipſi pugnabunt, bellum gerere aſſeremus, & hoſtes eſſe natura, & has inimicitias bellum vocabimus. Quando verò Græci aduerſus Græcos inſurgent, dicemus eos, natura quidem amicos eſſe, morbo autem laborare in hoc Gręciam, & ſeditionibus agitari, & ſeditionem has inimicitias appellamus. Si in ſeditioſa ciuitate vtriuſque factionis homines aduerſariorum agros deuaſtarent,

inflammaréntque domos, vides quàm pernicioſa ſeditio futura ſit,neutríque illorum patriæ ſuæ cultores ſunt. Quippe ſi eam amarent,nunquam certè auderent nutricem matrémque deſtruere: ſed ſatis eſſe putarent, ſi victores aliorum raperent fructus, exiſtimantes non ſemper ſe inuicem pugnaturos, ſed quandoque reconciliandos.Non ergo Græciam,cùm Græci ſint, deſtruẽt,neque domos incendent,neque putabunt in ſingulis ciuitatibus omnes ſibi aduerſos eſſe viros & mulieres & pueros,ſed paucos admodum inimicos, eos duntaxat qui fuerunt diſcordiæ cauſa. Quamobrem neque regionem perdent eorum,quaſi vt plurimum amicorum, neque domos ſubuertent, ſed eatenus decertabunt, quatenus qui diſcordiæ cauſas dederunt, in ſumptibus pœnas luant.

Porrò tradunt noſtri interpretes, bellum & rixam importare impugnationẽ in actu:at ſeditionem dici poſſe ſiue ſit in actu, ſiue præparatio ad huiuſmodi impugnationem. Ideóque, ſeditiones dici poſſe vbicunque eſt hominum multitudo & tumultus ad pugnam, vt adnota-

runt alij ad caput Pauli.ij. Corinth. xii. & Iudic. xij.

Seditionem autem à diſſenſione ciuium dictam eſſe ait Feſtus ex Tullio lib. 6. de rep. quòd ſeorſum eant, aut cùm populo diſcordante itur ad manus. Seditionis proprietas, inquit Non. Marcell. à Marco Tullio manifeſta eſt, eáque à diſſenſione ciuium, & quòd ſeorſum eant alij ad alios, ſeditio dicitur. Id fere oculis ſubiicit Virgilius 1. Aeneid. *Seditio vnde.*

Ac veluti magno in populo cùm ſæpè coorta eſt
Seditio, ſæuítque animis ignobile vulgus,
Iámque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat. & cætera.

Quo loco ait interpres, poëtam comparare tempeſtatem populo commoto. Cicero autem pro Milone econtra, comparat populum commotum tempeſtati. Et quidem, inquit cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus cõcionum & ſeditionum eſſe. Et Statius populum tempeſtati confert, qui viro præſtanti indigeat ad furorem ſedandum Cùm ait,

Sic vbi diuerſis maria euertere procellis

Hinc Boreas, Eurúſque, illinc niger imbribus Auſter,
Pulſa dies, regnántque hyemes. Venit æquoris alti
Rex ſublimis equis, geminúſque ad ſpumea Triton
Fræna natans, latè pelago dat ſigna cadenti.

Hanc etiam exprimit Lucas act. 19. in ea Demetrij argentarij ſeditione, vbi addit Paulus in fine, Nam & periclitamur argui ſeditionis hodiernæ, cùm nullus obnoxius ſit (de quo poſſimus reddere rationem) concurſus iſtius. Opponitur inquit Beatus Thomas, ſeditio vnitati populi, ciuitatis, vel regni, & ſic Iuſtitiæ & communi bono, vt in ſuo genere tãto grauius ſcelus ſit, quanto bonum publicum quod impugnatur per ſeditionem, maius eſt quàm bonum priuatum quod impugnatur per rixam.

Seditio variè. Planè dicitur ſeditio in vrbe, in exercitu, in claſſe, in cãpo, & vbicunque eſt hominũ multitudo. Cæſar lib. 1. belli Gall. Veritus, inquit, ne qua in caſtris ex eorum concurſu, ac miſericordia vulgi, ſeditio oriretur. Tull. ad Brutum lib. 2. Quod ſcribis de ſeditione quę facta eſt in legione

legione quarta de Antoniis, quod dicam, in bonã partem accipias: magis mihi probatur militum ſeueritas, quàm tua. Sed & à iuris noſtri interpretib⁹ ſeditio dicitur aliquando congregatio, monopolium, conuenticula, ſecta, confœderatio, coniuratio, conſpiratio, tumultus, diſſenſio, &, vt ita loquar, mutinatio: his enim vocabulis & ſimilibus paſſim & promiſcuè vtuntur, vel abutuntur, quod & notarunt in l. 1. & 2. ff. ad legem Iuliam maieſt. Hæc omnia, inquit Baldus in conſilio cxxx. ſignificant quendam conſenſum inter ſe, fidei interpoſitione firmatum, quo homines ad ſeditionem & tumultum contra Rẽp. vel tertiũm prouocantur. Felin. in cap. final. de teſt. cogẽd. Hinc ſeditioſus qui diſſenſiones facit, vel diſcordias gignit, ait Iſidorus, vel qui ſeditionẽ mouet, amat, aut facit. Cicero iij. in Verrem, malus ciuis, improbus Conſul, ſeditioſus homo Cn: Carbo fuit. & lib. iij. de finib. Altera lex de capite ciuis rogari, niſi in maximo comitio vetat, nondum initis ſeditioſis trib. pl. Dicitur etiam qui ſeditionem vel proditionem tractat, vt Doctores noſtri loquuntur, de ciuitate vel caſtro habẽdo,

Seditioſus.

C

vel dando, cauſa belli inferendi, contra publicam vtilitatem, vel tractat fieri nouitatem in ciuitate, vel contra publicum & bonum ſtatum ciuitatis, vel id agit vt dominus caſtri alicuius fiat, ídque ſiue vir ſiue fœmina: nam etiam mulieres ſeditionem facere poſſunt. l. 1. C. de vxor. milit. & Virgil 2. Aeneid.

Notum quid furens quid fœmina poſſit. &c.

Seditionarius. Hinc etiam ſeditionarius, qui ſeditionem facit vel amat, Can. ſeditionarios. 49. diſtinct. & ſedioſè aduerbium, id eſt contentioſè. Tullius pro Cluent. Altera autem quæ procul à iudicio remota eſt, quæ concionibus ſeditiosè concitatis accommodatior eſt, quàm tranquillis moderatíſque iudicijs. Et ad Attic. lib. 2. Multa cùm ſeditioſiſſimè diceret, vocem exprimere non potuit: pertinet enim hoc delictum ad eos qui ſeditionem procurant, vt filius Bochri. 2. reg. 20. Et ad eos qui ſequuntur perturbantes bonum commune, vt multitudo quæ ſecuta eſt Abſalon in conſpiratione contra patrem. 2. Regum cap. 22. & in iis. qui aduerſus Moſem & Aaron ſurrexerunt, Numer. 16.

Verùm quot homines faciant congre-

gationem,turbam, ſectam, gentem, & ſimilia,iudicis arbitrio relinqui, notat Baldus in l.ij.C.de ſeditio.l.fin.C. de teſtam. & alij, in l.j. §. cùm igitur.ff. de vi & vi armat. & de populo Fab.in §. ſi grex. inſtit. de rerum diuiſ. Barto. in tit. qui ſunt rebelles. Et an populo liceat congregare ſe ſine ſuperioris vel iudicis authoritate,notant Doct. in l.conuẽt.C.de epiſc.& cler. l.denunciamus.C.de his qui ad eccleſ.cõfug. cap.conſtitutionem,de. verb.ſignifi. lib.vj. auth. vt neque miles,neque fœderat.collat.8. tales enim conuentiones dicuntur malæ,non per ſe,ſed quia generãt rixas:quoniam,inquiunt,per finem licitũ licita cognoſcitur cõgregatio, & ecõtra, vt ideo cautum ſit cõuentiones mercatorum authoritate ſuperiorũ debere eſſe approbatas.Bart.in l.fin.ff.de colleg. illic.

Non omnis tamen ciuium aut ſtatus reip.perturbatio,coadunatio,cõiuratio, vel,vt ſic dicam,partialitas, debet ſeditio appellari,de qua hîc agimus: queadmodũ enim ſi plures ſint vni⁹ factionis, vel quis adhæreat vni affectioni propter priuatam vtilitatem, vel vt alius opprimatur, illud ſimpliciter illicitum eſt, & vt pluri-

mum,ſeditio appellatur:ita ſi conueniāt propter bonum publicum vt ciuitas rectè & quietè gubernetur,ſecus eſt: nec dicitur ſeditio,quanuis nequeant aduerſarijs reſiſtere,niſi ſub partialitatis nomine. Talis enim partialitas ſimpliciter licita eſt, cùm non minus liceat pro tuitione publica: nam & pro rerum priuatarum defenſione, amicos congregare ius permittit d. l.III.§. eum igitur. Immo non tantùm ſi confœderatio illa bona velit malo reſiſtere, ſed etiam ſi cupiat eos qui regunt repellere,quando eorum regimē illud iniquum eſſet & tyrannicum,vt ſtatus ciuitatis & reipub. in bonum reſtauretur.afferunt in argumentum l. nullus. C.de Iudæis.l.ait Prætor.§. ſi debitorem: ff.de his quæ in frau.cred.l.de pupillo.§.final. ff.de operis noui nunciat.l.I.§. qui à me vi.l. qui fundum.D.de vi & vi armat. Non ergo ſeditioſi dicendi ſunt qui ita ſe defendunt, cùm ab aliis inuaduntur, ait Hieronymus epiſt.82.lib.I.Ad vtilitatem igitur publicam licitum eſt conuenire & reſiſtere, & ſi peruenerint ad actū, ita vt tumultus in ciuitate fiant, non incidunt in pœnas legum de ſeditioſis,

Seditio bona

quoniam, vt ait B. Thomas, 2. quæſt. 12. regnum tyrannicum non eſt iuſtum, quia non ordinatur ad bonum commune, ſed ad priuatum eius qui regit. Bart. in tractatu de tyrannide, vt de Ioïada ſcribitur 4. Regum 12. Ideo perturbatio talis adminiſtrationis non habet rationem ſeditionis, niſi fortaſſis ita turbaretur ea adminiſtratio, vt populus plus damni ex perturbatione pateretur, quàm ex tyrãni regimine: quare ea partialitatis nomina nemo, niſi ex neceſſaria & vrgenti cauſa, debet aſſumere.

Eodem modo ſi tumultus fiat pro fauſta acclamatione, ſeditio dicenda non eſt. glo. l. 1. de quæſtor. lib. 12. Cod. Quinetiam Apollonium cum Smirnæis philoſophatum eſſe ait Philoſtratus, ciuitatem rectè habitandam diſſentientis cuiuſdam indigere cõcordiæ. Non enim de ſeditione loquitur quæ ad gladios mutuáſue plagas ciues deducit, quam à ciuitatibus exterminandam penitus eſſe cenſet: mutuam autem ciuium æmulationem pro communi ciuitatis bono, ciuitati plurimum conferre: vt quòd alius alio melius ſententiam dicat, aut ma-

giſtratum rectius gerat, aut legatione præclarius fungatur, aut etiam vtiliora conſtruat ædificia, vel in aliquo excellat. At ſeditio, qua de agimus, reipub. euerſioni ſtudet: & adeò pernicioſum eſt huiuſmodi ſathanæ commentum, vt nullum aliud: eo enim ſemper molitur diſſipationem politiarum & rerumpublicarum, vt triſtem confuſionem faciat.

Veruntamen non omnis diſſenſio ciuilis huius generis eſt, quoniam in diſſenſionibus ciuilibus, quanuis per eas ſæpè reſpublica lædatur, nõ tamen in exitium reipublicæ contenditur. Et qui in alterutras partes diſcedunt, non protinus vice hoſtium ſunt, eorum inter quos iura captiuitatum & poſtliminiorum fuerunt: ſed hoc loco de ea ſeditione agimus, quæ in damnum & perniciem reipublicæ tendit, & quæ improbo more bonum publicum offendit: cuius, tam togatæ, quàm etiam armatæ, exempla videre licet apud Valerium lib. 9. cap 7.

Cauſæ ſeditionum. Vt autem cauſas ſeditionum, & res de quibus diſſidetur, intelligamus, per modum præuiæ cuiuſdam inſpectionis, prænotandum eſt, Ciuitatem eſſe ciuium ſo-

cietatem iure conſtitutam, propter mutuam vtilitatem: ſicut Reſpublica ordo ciuitatis eſt, cùm aliorum magiſtratuũ, tum eius maximè, cui ſumma rerum omnium poteſtas tradita eſt: & Ciues dicũtur, qui in eadẽ ſocietate magiſtratus vel iudicandi poteſtatem conſequi poſſunt, aut aliis muneribus municipalib⁹ fungi. Eſt enim ciuitatis ſumma poteſtas penes adminiſtrationem ciuilem: adminiſtratio verò ciuilis, eſt reſpublica: quemadmodum in ſtatu populari ſumma poteſtas eſt penes populum, in paucorum dominatu penes paucos, in Monarchia penes Principem. Finis verò omnium, eſt incolumitas publici ſtatus, commune bonum, ac vniuerſorum vtilitas & vnio. Politia autem eſt, legitima ciuitatis ordinatio, ſecundum quam alij præſunt, alij parent. Atque ea duplex eſt, recta & corrupta. Quibus enim rebuſpub. commune bonũ eſt propoſitum, hæ rectæ ſunt, & ſimpliciter iuſtæ. In quibus autem qui præſunt, ſuam quiſque dũtaxat cõmoditatem ſequitur, hæ deprauatæ ſunt, & à rectis rebuſpublicis aberrationes, vt tyrãnis, à regno: paucorum potentia, ab optimatum admini-

Reſpublica.

Rectæ reipub. ſpecies

ſtratione: & popularis, à republica. Rectæ tres ſunt ſpecies, Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia: ſiue, regnum, ſtatus optimatum, & reſpublica popularis. Aut enim penes vnum eſt ciuitatis gubernatio, & Regia dicitur reſpublica: aut penes paucos, & Ariſtocratia: aut apud multos, & Democratia dicitur. Quòd ſi omiſſa iuſtitia, vnus, pauci, aut multi, qui imperio præſident, propriæ vtilitati ſtudeant: totidem ſedes præſcriptis rebuſpublicis oppoſitas conſtituunt, quæ dicuntur tyrannis, oligarchia, democratia. Regia enim reſpublica eſt, dominatio vnius, non proprio, ſed regni communi bono intendentis: & qui præeſt, Rex appellatur. Tyrannis verò regiæ oppoſita, eſt principatus vnius, ſuo proprio, & non regni ſubditorũque bono intendẽtis: & qui ei præſidet tyrãnus dicitur. Ariſtocratia eſt, cùm per paucos ſtudioſos & optimos ciuitas regitur: cuius moderatores magiſtratus, & optimates dicuntur. Sed in oligarchia pauci quidem, ſed praui ad priuatum cõmodum reſpiciunt, nec ſecundum dignitatem æquè ſingula diſtribuunt. Timocratiam multi mediocres, reipublicæ curam

ram habentes, conſtituũt,quãdo omniũ vtilitati ſtudent & conſulũt. Quòd ſi eorum tantùm commodo vacent, Democratiam cõſtituũt, Timocratiæ aduerſãtem. Has reſpublicas Romæ fuiſſe,iiſque præſidentes iura conſtituiſſe, in iure noſtro ciuili, & apud Liuium & alios videre eſt. Prima igitur,vt quæ dixi craſſius explicẽ, Regia eſt adminiſtratio, ſiue vnius principatus rempublicam ad cõmunem vtilitatem moderantis, quæ cùm degenerat vocatur Tyrannis,çùm monarcha imperium ad propriam & priuatam vtilitatẽ gerit. Ariſtocratia paucorum eſt optimatum principatus,qui adminiſtrant ad vtilitatem publicam, & communem, quam ſenatoriam poſſemus appellare : quæ à viris ſimpliciter bonis , id eſt , à virtute vera ſic nominatis, gubernatur : & cùm degenerat fit oligarchia, quãdo pauci ad vtilitatem potẽtium priuatam, ciuitatem adminiſtrant, cuiuſmodi ſtatum tempore Syllæ Romæ fuiſſe legimus. Sunt & aliæ reſpublicæ, quæ optimatum appellantur, non propriè, ſed quia proximè ad eam accedunt. Tertia ſpecies eſt, çùm ſummũ imperium eſt penes popu-

lum,cuius inſtitutum eſt per vices imperandi, & hæc particulari nomine reſpublica dicitur, quaſi res populi: quæ cùm degenerat,vocatur Democratia, in qua vulgus authoritatem ſuam cõfert ad augendam tenuiorum ciuium potentiam contra optimates, qualis ferè eſt Heluetiorum ſtatus.

Reſpub. mixtæ.

Ex his nonnullas mixtas fieri certum eſt,vt ex optimatum regiæ iuncta, vel ex populari & ex ſenatoria:aut ex regia, ſenatoria & populari,mixtis,vt ferè Platonicam,quam omnium perfectiſſimam dixerunt, & à Romulo ſapientiſſimè inſtitutam,qui primùm centum ſenatores ſibi iunxit, mox vniuerſum populum in triginta partibus diuiſum,quas à cura ferenda reipublicæ, Curias appellauit,quarum ſuffragiis omnia voluit expediri,vt etiam hoc modo leges decernerentur, quod dixerunt ferre in populum leges, ſcilicet in populi conſultationem ferre, quod & fecerunt alii Reges,vnde leges regiæ Curiatæ ſunt appellatæ.

Reſpublica.

Reſpublica autem,quæ peculiari verbo ſic dicitur, eſt quædam ex paucorum ſententia & ſtatu populari temperatura,

ſiue adminiſtratio ciuilis conflata ex opti matum adminiſtratione & ſtatu populari, quæ compoſitio ſeu temperatura cùm ad popularẽ inclinat, reſpublica dicitur: cùm verò ad paucorum potentiam, ſtatus optimatum.

Finis reipublicæ optimæ, optimatum eſt virtus: paucorum potentiæ, opes: populi verò, libertas. Tria enim ſunt quæ de paritate in republica certant, libertas, diuitiæ, virtus. Diuitum & egenorum mixtio, reſpublica nominatur. Omniũ verò trium temperatura, ſtatus optimatum magis dicitur. Ex optimatũ repub. facta eſt, per auaritiã, paucorũ potẽtia: ex hac, per factiones, & vnius potentiam, extitit tyrannis: ex tyrannide, cùm populus inualuiſſet, factus ſæpè eſt popularis ſtatus. *Finis reip.*

Nos naturali quadam ratione ſub clementiſſimo principe optimam eſſe putamus regiam adminiſtrationem, & optimam remp. quæ ab vno regitur, omnia iuſto ſuo arbitrio moderante, quæ plenum regnũ dicitur, Græcè autem, παμβασιλεία, & ex natura præſtantiſſima, ſi ſit innocua, vt quæ Dei typum teneat in terris: cùm enim finis & intentio boni regentis

debeat eſſe pax & vnio ciuium .l.congruit D. de officio præſidis.§. deinde. Auth. de mandat. Princ. Id facilius effici poteſt vnius adminiſtratione, cùm & in plurium principatu pax eſſe non poſſit, niſi plures vnum ſint voluntate & animo: quòd ſi diſſideant, impedietur concurſu eorum actio. Ideóque ſi plurium adminiſtratio bona ſit propter vnitatem, tanto magis regimen vnius, quo etiam reſpublica redditur potentior: & quia vnita, eſt fortior. §. quia igitur. Auth. de conſang. & vter. fratri. quod ex membris corporis conſtare dicunt, & ciuitatem tanquam hominem artificialem eſſe, vt notant in l. proponebatur. ff. de iudiciis.

Quemadmodum igitur tres ſunt potiſsimùm reipublicæ ſtatus, qui iure laudãtur: regnum, ſtatus optimatum, & quæ communi vocabulo reſpublica dicitur: Ita tres ſunt qui potiſsimùm vituperantur, Tyrannis, paucorum potentia, & ſtatus popularis: qui quaſi alienationes, & veluti peccata rerumpublicarum appellantur. Ex his autem corruptionibus, & ſtatuũ atque adminiſtrationum mutationibus, ſeditionum capita atque ſemi-

na, vt plurimum, exiſtunt: res enim de quibus diſsidetur, & vnde mutationes mouentur ſeditionéſque oriuntur, ſunt quæſtus, honor, nouitates, diſsimilitudines, contemptus, inimicitiæ, & ſimilia, atque iis contraria, dum alii ſe minus habere putant, cùm iis pares ſint qui plura ſibi vendicant: & pares ſe putant aliis à quibus ſuperantur, ſéque illis volunt in reipublicæ commodis exæquari. Vel cũ pares ſint, ſe ſuperiores eſſe putãt, & plus ſibi rempublicam debere contendunt. Alii dum imparitatem & præſtantiam cupiunt, ſeditiones mouent, cùm ſibi perſuaſerint nihilo ſe plus habere, ſed par aut minus, cùm ſint præſtantiores.

Seditiones autem non de paruis rebus fiunt, ſed ex paruis orta ſeditione, de rebus magnis diſſidetur. Et cùm ex paruis initiis ſeditiones oriantur, res tamen de quibus diſſidetur, ſæpè magnæ ſunt. Res exiguę occaſiones magnarum diſſenſionum præbent: ſed orta ſeditione, de maximis rebus contenditur, interdúmque de ſumma reipublicæ. Homerus in Iliade contentionem (quam Græci ἔριδα appellant) primùm exiguam eſſe, paula-

tímq; exurgere, ac excreſcere ait ad ſummum,exq́ue minimis initiis illico cœlum vertice attingere. Oritur ſemper lis ex lite,neque vllus eſt æmulationũ finis: quæ vbi plurimum habet , ſummúmque attigit, adhuc aliquid magis ſummum eſſe putat: nunquam ſatiata, ſola eſſe in hoc orbe , nihílque ſibi reliqui facere cupit. Sed tum potiſſimũ paruæ ſeditiones inualeſcunt,cùm inter reipublicę principes agitantur,vt olim Syracuſis accidit.Nam ex duorum adoleſcentum, qui magiſtratibus præerant, diſſenſione, ex amatoria cauſa, ſtatus reipublicæ mutatus eſt. Nobilium enim & magnatum diſſenſiones, vniuerſam ſecum ciuitatem trahunt, vt accidit in Heſtiæa, poſt tempora reipublicæ popularis, in duorum fratrum diſſenſione , quibus erat de paternorum bonorum diuiſione controuerſia. Qua ratione, inter multos conſeruandi reſpublicas modos,ille magis communis eſt,ne quid fieri contra leges & inſtituta permittatur,etiam in rebus exiguis, quoniã hæ maximè latent, tùm ne ſe homines callidis commentis capi permittant, quibus inſidiæ cuique generi reipublicæ tendũ-

tur:legibus prætereà cauere & prohibere nobilium diſſenſiones, eíſque occurrere: & ſi oriantur, eorum animos occupare, qui nondum ſeditione ſunt implicati. Rerum verò omnium nihil vtilius eſt, nec aptius ad imperium tuēdũ, quàm diligi, atque amari: nec alienius, quàm odio haberi. Sic quandiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur exitus erant bellorum aut mites, aut neceſſarij. Magiſtrat⁹ & Imperatores ex hac vna re maximã laudẽ capere ſtudebãt; ſi prouincias, ſi ſocios æquitate & fide defēdiſſent. Senſim autē hanc conſuetudinē, & diſciplinam, atque inde rempublicam, amiſerunt. Eſt enim auſus dicere Sylla, cùm haſta in foro poſita, bonorũ virorum, & ciuium locupletum bona venderet, prædam ſe ſuam vēdere. Ideo, inquit Cicero, nunquam bellorum ciuilium ſemen & cauſa deerit, dum homines perditi haſtã illam cruentam & meminerint, & ſperabunt: talibus enim propoſitis præmiis, nunquam defutura ſunt bella ciuilia. Debent ergo, inquiũt Doctores noſtri: in eo qui regnare cupit adeſſe tria: primum, ratio, vt diſcernat iuſtum ab iniuſto, licitũ

ab illicito. Deinde recta intentio, vt publicum bonum, & non priuatum reſpiciat: tertium, perfecta ſtabilitas, vt minimè corrumpatur, ſed iuſti conſilij homines ſecum habeat. Iura autem boni regis videre licet Deuteronom. 17. Mali, primi Regum capite octauo. Ex his quæ diximus quaſdam mutationum cauſas videre licet: conſequens eſt alias mutationum & ſeditionum, atque etiam euerſionum ciuitatum, & rerumpublicarum attingere. Dicam igitur cum Lucano lib. 1.

Fert animus cauſas tantarum expromere rerum,
Immēſúmque aperitur opus: quid in arma furētē
Impulerit populum, qui pacem excuſſerit orbi
Inuida fatorum ſeries, ſummíſque negatum
Stare diu, nimióque graues ſub pondere lapſus,
Nec ſe Roma ferens.

Et paulò poſt,

In ſe magna ruunt, lætis hunc numina rebus
Creſcendi poſuere modum: nec gentibus vllis
Commodat in populum terræ, pelagíque potentē
Inuidiam fortuna ſuam: tu cauſa malorum
Facta tribus dominis cōmunis Roma: nec vnquā
In turbam miſsi feralia fœdera regni.
O malè concordes, nimiáque cupidine cæci,
Quid miſcere iuuat vires? orbémque tenere

In

In medio?
Nulla fides regni ſociis: omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.
Hæ ducibus cauſæ ſuberant: ſed publica belli
Semina, quæ populos ſemper merſere potentes.
Namque vt opes nimias mũdo fortuna ſubacto
Intulit, & rebus mores ceſſere ſecundis:
Prædáque & hoſtiles luxum ſuaſere rapinæ:
Non auro, tectiſue modus, menſáſque priores
Aſpernata fames, cultus geſtare decoros.
Non erat is populus quẽ pax tranquilla iuuaret,
Quem ſua libertas immotis paſceret armis.
Inde iræ faciles: & quod ſuaſiſſet egeſtas,
Vile nefas, magnúmque decus, ferróque petẽdũ
Plus patria potuiſſe ſua, menſuráque iuris
Vis erat: hinc leges, & plebiſcita coacta,
Et cum conſulibus turbantes iura tribuni.
Hinc rapti faſces precio, ſectórque fauoris
Ipſe ſui populus: letaliſque ambitus vrbi,
Annua venali referens certamina campo,
Hinc vſura vorax, auidúmq; in pectore fœnus,
Et concuſſa fides, & multis vtile bellum.
Vſque adeò miſerum eſt ciuili vincere bello.

Alij verò, populi, vel principis ſceleribus, cauſam ſeditionum, & euerſionum rerumpublicarũ adſcribunt, necnon corruptioni morum, & mutationi legum ve-

terum. Atque ad eam rem pertinet elegia Solonis citata à Demoſthene, & Latinitate donata à [redacted],

Non vrbem ſuperi cupiunt euertere noſtram,
Et nobis, niſi ſint numina læſa, fauent.
Ac noſtræ cuſtos arcis, Tritonia Pallas,
Perpetua cura, mœnia noſtra tegit.
Ipſi ſed patriam ſceleratis mentibus vltrò
Conantur ciues dilacerare ſuam.
Nam pretio quidam vendunt, legéſq;, fidémq;,
Auri quos cruciat non ſaturanda fames.
Sæuitiam exercent, rapiúntque tyrãnida quidã,
Induat vt iuſtus ciuibus arma dolor.
Pars ſtudet & ſarcire domeſtica damna rapinis,
Exhauſit patrias cùm malè luxus opes.
Diripiúntque vrbis patrimonia publica noſtræ,
Et ſibi diuitias víque dolóque parant.
Et non Iuſtitiæ formidant vindicis iram,
Conſiliis ſuperûm, quæ Dea ſemper adeſt.
Hæc oculis cernit vigilantibus omnia facta,
Nemo putet falli numina poſſe Deûm.
Et quamuis pœnas differt aliquando, tacétque,
Mente tamen memori facta nefanda notat.
Exigit & tandem pœnas. Nõ regna, nec vrbes
Effugiunt clades, quas meruere, graues.
Hinc vrbs diuitiis quõdã imperióque ſuperba,
Seruitij patitur triſtia iura modò.

Aut rabidi ciues in mutua vulnera ſtringunt
Exorta gladios ſeditione ſuos:
Aut validos hoſtes ſine cauſa fortè laceſſunt,
Sopitúmque mouent, quod fuit antè, malũ.
Námque vrbs quæ ſocios iniuſtis prouocat armis
Mox ruet, & ſubitis eſt peritura modis.
Caſibus his validæ gentes delentur & vrbes,
Pro ſpreta pœnas quæ pietate luunt.
Et ſi qui excidio patriæ fortaſſe ſuperſunt,
Poſthac fata illos non leuiora manent,
Extorres, ſine ſpe, ſine ſede, inopéſque vagãtur,
Aut empti pretio vincula dura gerunt.
Sic partẽ fert quiſque ſuam, cùm publica clades
Incidit, & prohibet ianua nulla malum.
Nõ latebræ quemquã fugientẽ abſcõdere poſſũt,
In thalamos penetrant publica damna tuos.
Hæc moneo ciues, nec fabula ficta putãda eſt.
Leges atque Deum ſpernere, crede, nocet.
Sed placidam retinet pacem reuerentia iuris,
Peccanti quæ non parcere lenta ſolet.
Hæc prohibet turpem luxũ, frænátque rebelles,
Creſcere nec patitur ſemina ſparſa mali.
Iudiciis emendat fraudes, violentáque facta
Naſci inter ciues, diſſidiúmque vetat.
Denique vita hominum tranquilla, & hone-
ſta manebit,
Seruandi leges dum pia cura manet.

Ad eam rem pertinet quod ait Cicero, Qualeſcunque ſummi ciuitatis viri fuerint, talẽ ciuitatẽ eſſe & fuiſſe: & quæcunque mutatio morũ in principib⁹ extiterit, eandem in populo ſecùturam: ideóque nobilium vita, victúque mutato, mores mutari ciuitatum. Quò pernicioſius de republica merentur vitioſi principes, quòd non ſolùm vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in ciuitatem: neque ſolùm obſunt quòd illi ipſi corrumpuntur, ſed etiam quòd corrumpunt, plúſque exemplo, quàm peccato, nocent.

Nam cùm ea ſit naturæ noſtræ corrupta ratio, vt ex quauis facilè occaſione, vitiorum ſemina concipiamus: multò tamen cumulatius id contingit, ſi ad prauam naturæ propenſionem, illuſtrium hominum exempla accedant: quoniam, vt ait Satyricus,

- Velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Si ſubeant animos authoribus.

Ita nimirum ferente cæco quodam mortalium ſtudio, vt quos in ciuitate præpollere dignitate conſpiciant, ad eo-

rum exemplum, vitam, mores, ſtudiáque componant, & præpoſtera illorum admiratione frequenter cæcutientes, vitia pro virtutibus amplectantur. Quò fit, vt non tantum mali exiſtimandum ſit, peccare primarios ciues (quanuis illud ipſum, per ſe magnum eſt malum) quàm quòd plurimi eorum imitatores exiſtãt: quódque non tantùm vitia concipiant ipſi, ſed etiam è ſe nata, in plebem tranſmittant.

Bartolus, in tractatu de Guelphis & Gebellinis, refert, diſcordias olim fuiſſe inter Romanam eccleſiam & Romanorũ Imperatorem, aut, ſi mauis, inter Pontificem Romanum & Federicum imperatorem Romanorum, qui Barbaroſſa dictus eſt. Cuius, cùm in põtificis deuotione ſtaret, ſiue partes foueret Romanæ eccleſiæ, quaſdam habemus leges in volumine Feudorum interpolatas, antequã Pontifex eum priuaret imperio: vt notatur in C. ad apoſtolicæ, de re iudi. in vi. C. fundamenta extra de electio. Guelphi Gebellini

Huius Federici cognatio in Germania cognominabatur, Domini de Gebello: ideóque qui partes eius fouebant, Gebellini dicti ſunt: qui verò Romani

pontificis, Guelphi, quaſi zelatores fidei. Hæc autem nomina etiam hodie durant propter alias tamẽ affectiones: ſunt enim inquit, plures imperio rebelles, qui Ge-bellini vocantur. Sed, vt contingit in prouinciis & ciuitatibus ſeditione commotis, vt aliquo nomine vocentur qui alterutram partem fouent: ideò hæc nomina, tanquam magis communia, vſurpata ſunt, vt notatur in l. ſi quis ingenuam. §. qui alterutras. D. de captiuis & poſtli. reuer. Ideóque, ait, ſi accipiamus Guelphum & Gebellinum, ſicut primò nominati ſunt, quis non poteſt eſſe vno loco Guelphus, alio Gebellinus? quia affectiones illæ Pontificis & Imperatoris, Eccleſiæ & Imperii, reſpiciebant vniuerſum orbem Romanum, ídque vniformiter, argumento l. authoritat. D. de author. tut. Sed, vt hodie accipi poſſunt, ſecus eſt, quia eæ affectiones poſſunt eſſe circa diuerſa, vt ſi in ciuitate vel prouincia tyrannus cum ſuis ſequacibus dicatur Guelphus: vir probus qui ei affectioni reſiſtere conabitur, cum ſuo ordine, dicetur Gebellinus.

At in alio loco, & alio reſpectu, ſecus.

eſt.arg.l.reos.in princ.ff.de duobus reis. Et ſi plures ſint vnius affectionis,aut quis adhæreat vni parti propter priuatam vtilitatem, vel vt alius opprimatur,id ſimpliciter illicitum: & culpæ reus fieri poſſet ſocietatis in necem alterius cõtractæ,vt inferius tractabitur.

Non ideo tamen ſententiam Bartoli probo, vnde Guelphorum Gibellinorúmque factiones originem habuerint, vt qui ex hiſtoria Ottonis ſciã, defuncto Corrado tertio, habita fuiſſe Francofordię de imperio comitia,cùm eò proceres & primates conueniſſent,Federicúmque cui à rubra barba cognomentum, ad auguſtale faſtigium fuiſſe prouectũ: quoniam cùm duæ eſſent in orbe Romano familiæ,quę diu de dignitate certarant,vna Henricorũ ex Gubelinga, alia Guelphorum ex Altdorphio, & ex hac magni Duces,ex illa etiã Cęſares prouenißent,proptérque æmulationem,reip. quietem ſępius turbaſſent: viſum Electoribus fuit, vt ſeditiones illæ extinguerẽtur,Federicum ad eam dignitatẽ promouere, quia vtramque familiam attingebat:cùm patrem ex Gubelinga, matrem verò ex

Guelphis häberet, filiam Ducis Noricorum. Sed orta deinde inter Ænobarbũ & Alexandrum pōtificem ſimultate, omnis ferè Italia commota eſt, quia pōtifex Cæſari ſcripſerat, ſe non ſolùm coronam regiam, ſed aliud præterea quodcunq; beneficium ei eſſe collaturum. Quod interpretatus eſt Federicus, vt pontifex ſe patronum, Cæſarem verò clientem appellaret. Ex quo odio Italia ferè tota exarſit.

Alij ex ioco & deliciis naſci diſcordias & ſeditiones putant. Citatur Adagium ex Cratete apud Athenæũ: μὴ πρὸ φακῆς λοπάδ᾽ αὔξων, εἰς στάσιν ἄμμες βάλῃς. id eſt, ne ante lenticulam augẽs ollam, aut patinam, in ſeditionẽ nos mittas. Citatur & à Plutarcho, commentario de præceptis bonæ valetudinis, eiuſdẽ Cratetis nomine, his quidem verbis, ὁ μὲν οὖν Κράτης διὰ τρυφὴν καὶ πολυτέλειαν οἰόμενος οὐχ ἥκιστα τὰς στάσεις, καὶ τυραννίδας ἐμφύεσθαι ταῖς πόλεσι, μετὰ παιδιᾶς παρῄνει, μὴ πρὸ φακῆς λοπάδ᾽ αὔξων, ἐς στάσιν ἄμμες βάλῃς. Αὐτὸς δέ τις ἑαυτῷ παρακελευέσθω, μὴ πρὸ φακῆς λοπάδα αὔξων ἀεὶ, μὴ δὲ πάντως ὑπερβαίνων τὴν καρδαμίδα, καὶ τὴν ἐλαίαν, ἐπὶ τὸ θρίον καὶ τὸν ἰχθῦν εἰς στάσιν ἐκ πλησμονῆς τὸ σῶμα καὶ ταραχὸς ἐμβάλλειν καὶ διαῤῥοίας. Id eſt, Crates igitur cùm

cùm exiſtimaret in ciuitatibus ſeditiones ac tyrannides potiſſimùm è deliciis ac luxu naſci, per iocum admonuit, Ne præ lēticula ſemper augens patinam, in ſeditionem nos coniicias. Sed ſeipſum adhortetur quiſque, ne ſemper præ lente augens patinā, neúe modis omnibus, præterito naſturtio & olea, ad farcimen, & piſcem deſciſcens, ex repletione, corpori ſeditionem concitet, ac tumultum & diarrhoeas. Crates eò detorſit dictum, vt apparet, poëtæ cuiuſpiam, vt pertineat ad homines impendiò ſumptuoſos. Alluſit autē ad morem plebis, quæ ſolita ſit excitare ſeditiones, ſi conſpiciat optimates ſibi præponi. Nam lopadæ apponebantur cibi lautiores, id quod licet colligere ex Luciani Saturnalib. Lens legumen eſt viliſsimum & plebeium. Hinc ortum prouerbium, ἐν δὲ διχοστασίῃ κ' Ανδροκλείδης πολεμαρχεῖ. Id eſt, ſeditione orta, dux eſt etiam Androclides. Celebratum carmen in homines humiles, qui ex aliqua occaſione ſortiuntur dignitatem: quemadmodum, in rerum tumultu, nonnunquam infimi Duces fiunt: quod & detorqueri poteſt, ad malos prīcipes, qui rebus

pacatis minus valent in republica, atque ob id aliquãdo data opera rerũ motus excitãt arte tyrannica, quo commodius ſuo arbitratu populũ cõpilent: aut in Theologos quoſdã malos, qui diſſidiũ & tumultum concitant in plebe Chriſtiana, quò celebres hac occaſione reddantur. Refertur à Suida, Diogeniano, & à Plutarcho, in vita Niciæ, & in cõmentario περὶ φιλαδελφίας, qua de re Eraſmus in Chiliadib.

Addit Plato, dialogo ſecundo de rep. tam ex nimia copia, quàm ex inopia, oriri ſeditiones. Alia, inquit, ſunt obſeruanda, ne ciuibus inſciis irrepant opulentia & inopia. Illa ſiquidẽ delicias, deſidiã, ſeditiones, rerũ nouarum ſtudium parit. hęc autem cum rerum innouatione illiberalitatem & maleficia gignit.

Primùm, inquit Salluſtius, iuuentus ſimul ac belli patiens erat, in caſtris per laborem, vſu militiam exercebat. Sic ſe quiſque hoſtem ferire, murum aſcendere properabant, eas diuitias, eam bonam, firmam, magnámque libertatem putabãt, domi parci in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, vbi pax euenerat, æquitate ſéque, rémque publi-

cam curabant. Sed poſtquam diuitiæ honori eſſe cœpere, & eas gloria, imperium, potentia ſequebantur, hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro maleuolentia duci cœpit. Igitur ex diuitiis, iuuentutem luxuria atque auaritia vnà cum ſuperbia inuaſere. rapere, conſumere, ſua paruipendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiã, diuina atque humana promiſcua, nihil penſi nihílque moderati habere. Simul quòd æs alienum per omnes terras ingẽs erat, & plerique Syllani comites largius ſuo vſi, rapinarum ac victoriæ veteris memores, ciuile bellum exopta bant. Et iuuentus, cui in otio magnificè & molliter viuere copia erat, incerta pro certis, bellum quàm pacem mallebat. Nullam capitaliorem peſtem, quàm voluptatem corporis, inquit Cicero hominibus à natura datam eſſe. Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpublicarum euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci.

Boerius autem, tria parere ſeditiones & diſcordias, ſcripſit: Priuati commodi procurationem, & affectionem immoderatam, qua alij grauentur. Principium

enim diſcordiæ,inquit Seneca,eſt aliquid ex communi ſuum facere, vt Roboam tertii Regum capite duodecimo. Alterá, nouorum morum inductionem, cùm & præſumptio nouitatum diſcordiam pariat, monetæ mutationem, tributorum & onerum ſine cauſa indictionem & impoſitionem:aut cùm alii minus grauãtur indictis & ſuperindictis, vectigalibus,tributis,capitationib9,& aliis oneribus: alii verò exonerãtur. Deinde cùm magiſtrat9 dignitates,honores,& officia quibuſdam ſæpenumero indignis copioſè deferuntur:alii verò negliguntur, etiam digniſsimi, atque etiam reiiciuntur. L. quis tam inueniri de decurio.lib.10.C.§.deinde cõueniens eſt. Auth.de mandat. principũ Collat. iij.c. ad hæc. 89. diſtin. Tertiam, inquit, cùm ſcelera non puniuntur, vnde mali & verberones, ad lædendum audaciores fiunt. Vel cùm ex eadem re alii puniuntur, alij tolerantur.l.cùm ſplendidioris.de diuerſis officiis.lib.xij.C.aut honores cõtinuantur in eadem familia.l. 1. de munerib. & honorib. lib. x. C. l. j. de Hirenarchis .lib.xij. C.Quare qui reipublicæ præfuturi ſunt, ſic totũ corpus rei-

publicæ curare debent, ne dum aliquam partẽ tuentur, alias deſerant: vt enim (inquit M. Tullius) tutela, ſic procuratio reipublicæ, ad vtilitatem eorũ qui commiſſi ſunt, gerenda eſt. Nam qui parti ciuium conſulunt, partem negligunt, rem perniciosiſſimã in ciuitatem inducunt, ſeditionem atque diſcordiam. Ex quo euenit vt alij populares, alij ſtudioſi optimi cuiuſque videantur, pauci vniuerſorum. Hinc apud Athenienſes magnæ diſcordiæ ortæ: in republica Romana, nõ ſolùm ſeditiones, ſed peſtifera etiã bella ciuilia. Addunt alij legum abrogationes, nouitates, priuatas vindictas, contemptus, odium, æs alienum, rerum mutationes, & ſimilia, ſeditionibus aditũ præbuiſſe: quod de legibus & ſtatutis iniquis notatum eſt in leg. prima. C. de Latin. libert. tollenda. Conſtat poſt vrbem conditam, nullam de ambitu legem longo tempore fuiſſe latam: quòd in dandis magiſtratibus, & conferendis honoribus, priſci non largitione & ambitu, ſed vera virtute niterentur. Poſteà verò mores vſque adeò degenerauerunt, vt ſine diſcrimine aut pudore, palàm in aſſequendis honoribus

largitiones fierent: &,ne quid turpitudinis deeſſet, manus & operas clientum, & comitum audaciſſimorum, ad vim & ſeditionem paratas habuerũt. ita vt ſeditioſiſſimo cuique, temeritatíque & audaciæ, præcipuus locus foret: tantáque exarſit ambitio, vt ex hac turbulẽta confuſione, octo ferè menſibus, vrbem inter populares procellas, patrum & plebis certamina, dum ſeditionibus vacant, ſine lege, ſine imperio, ſine honoribus, diu caruiſſe magiſtratibus, memoriæ proditum ſit.

Senatus populúſque Romanus, inquit Appianus, mutuis ſæpenumerò contentionibus, ex legum latione, vel ſi quando debitorum abrogationes, agrorúm ue partitiones fierent, vel in comitiis vnà adeſſent, diſsidebant. Non tamen armata manu ſemper opus erat, verũ diſsidia, ac turbationes duntaxat, ex lege, moderatè inter eos primùm agitabantur. Marius autem Coriolanus præter ius eiectus vrbe, ad Volſcos confugit, & patriæ ſubinde bellum intulit. Quem primum, in ſeditionibus ad noua feciſſe aditum, conſtat. Gladius nempe in conſilio hactenus à ne

mine exectus, aut ciuili in contentione illata cædes, priuſquam Tyberius Gracchus plebis fautor, & leges inferens, in ſeditione occiſus eſt. Quibus ex rebus, minimè cohærentibus, diſsidiis, diuiſis inter eos apertè odiis, gladiis accincti ſæpenumero inter ſacra aut comitia, aut in foro, alicuius ex proceribus ſecutas contentiones impudentiſſimas nullo ordine paulatim ediderunt: quas legum & iudiciorum contemptus ſubinde ſecutus eſt. Inualeſcente itaque in dies malo, incurſiones manifeſtæ in repub. factæ ſunt, exercitus quoque magni, per vim in patriam inducti, ad magiſtratum aliquem certatum, donec Cornelius Sylla, malo mederi ſatagens, ſe dictatorem in pluribus profeſſus eſt. Nō multò pòſt, cùm ſeditiones in Syllam defeciſſent, eorum quoq; vĩdictæ, quę à Sylla erãt perpetrata emanauerunt, donec Caius Cæſar magiſtratum occupauit, magnam iam inde in Gallia adeptus gloriam. Senatu deinde iubente, vt exercitum deponeret, cauſam in principem referens, quaſi non à Senatu, ſed à Pompeio hoſte oppugnaretur, qui exercitum per Italiam deduce-

ret,& ad regnum aſpiraret,pacis conditiones protulit:vt vel vterque eorũ exercitũ teneret, ad reprimẽdas mutuæ inimicitiæ contentiones, vel quas Pompeius haberet,mutuò deponeret,& pari modo vterque ſub legibus priuatis viueret. Quorũ cùm neutrum eſſet aſſecutus, bello principem deuicit: vt rebus compoſitis alter dictator dictus ſit,qui ſeditiones componeret, donec à Caſſio & Bruto occiſus fuit. Vnde ſeditiones in maius auctæ, ad ſũmũ peruenerunt:ſeditioſis ſe ad hoſtes inuicẽ præbentibus. Adeò natiuã patriæ charitatem contentio aduerſa depulit,vt tres viri Antonius,Lepidus, & Octauius Romanorum imperium,veluti poſſeſſionem propriam,partirentur: cúmque poſteà Octauius Cæſar,Lepidum ſpoliaſſet, & Antoniũ deuiciſſet, Auguſtus appellatus eſt.Sed & ex legis Agrariæ occaſione, maximæ à Tyberio Graccho ſeditiones natæ ſunt, vt hæc, & pleraq; alia apud Liuiũ,Plutarchũ,Herodianũ, Appianum, Cæſarem, & alios,videre eſt. Refert etiã Valerius Maximus, ſeditionem in Luciũ Æquitium excitatam,quia ſe Gracchi filium ſimulabat,dicente populo,nõ oporter-

tere

tere clariſſimæ familiæ ignotas ſordes inſeri: cuiuſmodi alia exempla apud eum relata ſunt.

In ſecunda ætate & quaſi adoleſcentia Populi Romani, vt eſt apud L. Florum, exercitus Poſthumiũ imperatorem inficiantem quas promiſerat prædas, facta in caſtris ſeditione, lapidauit. Fuit etiam & diſcordia fœneratorum, vt dixi, quibus in terga quoque ſeruiliter ſæuientibus, in ſacrum montem plebs armata ſeceſſit: ægreq; M. Agrippæ authoritate reuocata eſt. Aliam decemuiratus libido conflauit. Cùm enim allatas à Græcia leges decem principes lecti, iubente populo, cõſcripſiſſent duodecim tabulis, & traditos faſces regio quodam furore retinere vellent, Appius eò inſolentiæ elatus eſt, vt ingenuã virginem ſtupro deſtinaret, oblitus & Lucretiæ, & regum, & iuris. Quã cùm in iudicium, in ſeruitutem trahi videret Virginius pater, nihil cunctatus, in medio foro manu ſua interfecit, admotíſque ſignis commilitonum, totam eam dominationem obſeſſam armis in carcerẽ & cathenas ab Auentino mõte pertraxit. Aliam ſeditionem excitauit matrimo

niorum indignitas, vt plebs cum patriciis iũgeretur, qui tumultus in mõte Ianiculo duce Camilleïo tribuno plebis exarſit. Aliam denique honorum cupido, vt plebeij magiſtratus crearentur: in his autem ſeditionibus principem populum non immeritò ſuſpexeris, qui nunc libertatẽ, nunc pudicitiam, modò natalium dignitatem, & honorum inſignia vindicauit.

Sub Martino quarto, vt in eo refert Platina, orta Romæ ſeditio eſt, eò quòd Carolo Cæciliæ regi Senatoriam dignitatem reſtituit, qua à Nicolao papa quarto priuatus fuerat. Sic in Gallia ſub Chilperico, ob tributum vineis impoſitum: ſub D. Ludouico, propter iniuriam Academiæ & ciuium: ſub Philippo Pulchro, propter monetæ vſum: & ſub Carolo ſexto, ob vectigalium multitudinem. Apud Gandenſes, ob nouam pecuniæ à Ludouico Flandrenſi Comite exactionem, ſeditio ſuborta eſt, atque iidem Gandenſes à Philippo, Burgundionum Duce, ob ſalis tributum diſceſſerunt.

Ariſtoteles iſta diligentius perſecutus, Omne, inquit, reipublicę genus, nũc interno & domeſtico malo euertitur, nũc

ab externis potentioribus, qui talem ciuitatis ſtatum non probant, deletur. Minores, vt æquales fiant, ſeditiones faciũt: æquales verò, vt maiores. Ideò quãuis reſ publica omnis iure quodam nitatur, ſimpliciter tamen quælibet aberrat. Cùm enim æquum proportione dignitatis cuique tribendum eſſe fateantur omnes, tamen quidam, cùm pares ſint in vna re duntaxat, omnium rerum paritatem ſibi poſtulant. Alij cùm vna ſint ſuperiores, rerum omnium maiorẽ partem ſibi vendicare conantur, quæ cùm ſimul fieri non poſſint, ex hac opinionum contrarietate, & contentione ſeditiones exiſtunt. Seruanda ergò eſt paritas proportionis, & ſi par ſit dignitas, paria tribuantur pręmia oportet. Sin impar, eadem ſit proportio præmiorum, quæ dignitatum. Nam inde iuris violatio, & ſeditiones oriuntur, quando non rectè mixta, temperatáque eſt reſpublica popularis, cum paucorum potentia: quorum probata temperatio, probam rempublicam, & firmam facit. Omnes enim propter inæqualitatẽ diſſident, cùm imparibus nõ tribuitur, quod proportione debetur, in quo auaritia &

ambitio plurimum nocent.

In Monarchia, quæ vnius imperiũ eſt, ſiue in vnam ciuitatem, ſiue in plures habeatur, id perſpicitur, ſi hi qui imperant, auarè & cõtumelioſè imperent. Nam regnum propriè virtutis aut generis, vel beneficiorum, aut honorum, ſimulatque potẽtiæ meritis tribuitur. Et olim conſtitutum erat in præſidium proborum hominum, contra iniurias popularium. Et rex ipſe ex numero proborum virorũ creabatur, qui virtute, & rerum geſtarum magnitudine, vel generis excellentia pręſtaret. Tyrannus autem, ex populo & multitudine, aduerſus nobilitatẽ, vt populũ ab iniuriis eorum prohiberet: ideóque ſæpius tyranni ex ducibus popularibus facti ſunt. Pertinet autem ad Regis officium, prouidentem eſſe, ne diuites iniuria, vel populares contumelia afficiantur. Regium propoſitum eſt, honeſtas & honor: tyrannicũ, voluptas & pecuniæ abundantia. Regis cuſtodia ciuilis eſt, tyranni ex externis cõſtat. Regnũ ſimile eſt optimatũ reipublicæ, quia vt in hac prima ratio virtutis habetur, & optimis quibuſq; viris magiſtratus demandantur: ſic re-

gnum optimo cuique defertur, & vtriſque publica commoditas propoſita eſt. Tyrannorum verò imperium, ſimile eſt ei quod dominus exercet in ſeruos: dominus enim omnia ad ſuã vtilitatem refert. Cuius cauſa, ſeruorum & neceſſariis commodis proſpicit: ſic tyrãnus interdũ bono publico conſulit, dũ id in ipſius cõmoditatem recidat. Tyrannides autem duobus modis contrariis conſeruantur: Si viros præſtantes deprimant, qui ſunt elato animo è medio tollant, nec conuiuia, nec ſodalitates, nec doctrinam, nec tale quicquã aliud permittant. Curant deinde colloquia vetare, omnes ocioſorum conuentus prohibere, dant operã vti inter ſe omnes ſint maximè ignoti, vtque peregini ſemper conſpiciantur, & ita latere non poſſit, ſi quid ſiniſtri moliantur, vt ſemper ſeruitute preſſi animos tollere minus conſueſcant: deinde, vt quid ſubiectorum quiſque dicat, nõ ignoretur: & ideò proſagogidas, quaſi delatores, vel otaciſtas auſcultatores ſubmittere, quorũ timore minus audeãt, & ſi quid auderint, minus lateat: alios apud alios calumniari, amicos cum amicis, populares cum no-

bilibus,& diuites inter ipſos cõmittere: ſubditos in pauperiẽ redigere, & ab operibus quotidianis otium eis ad parandas inſidias nõ relinquere. Hinc apparet, tria potiſſimũ eſſe quæ tyrannus efficere molitur: vt ſubditi demiſſos animos gerant, ne fidem inter ſe habeant, & ne efficiendi quidem facultatem habere poſſint. Et vt euertẽdi regnũ modus eſt, ſi fiat imperium tyrannicum: ſic eſt tyrannidi magis ſalutare, ipſam reddere quodammodo regiam: vt ſi curam rerum cõmunium habere videatur, ſumptus non faciat in re quæ multitudinem offendat, expenſi & accepti rationem habeat & reddat, tributa & exactiones ſic imponat, vt prouidendi, ac diſpenſandi gratia, nummos cogere videatur ad vſum militarẽ, cùm bellum inciderit. In ſumma ſic ſe comparare, vt tanquam publicæ pecuniæ nõ priuatæ ſe quæſtorẽ & cuſtodem agat: vtque nõ difficilis & ſuperbus, ſed grauis, & modeſtus eſſe videatur, alloquentibus non formidoloſus, ſed venerandus. Denique, vt Deum & religionem ſemper colere videatur. Nam minus iniuriam homines à talibus metuunt, cùm principem religio-

ſum eſſe ac deos vereri putant: minúſque inſidiantur ei, qui deos auxiliares habere videatur. Poſtremò probis & præſtantibus, honores per ſe tribuere curet: pœnas autem, per alios magiſtratus & iudices irroget.

Eſt autem omnis Monarchiæ commune, neminem facere nimis magnum, ſeu nummis ditare & extollere, aut ſaltem pluris facere: ipſi enim inter ſe quid quiſque agat obſeruāt, aut ſi vnū aliquem augere oporteat, vitare tamen eum qui ſit nimis moribus audax: quòd tales mores in cunctis actionibus maximè ſint ad vim inferendam accommodati: & ſi cuius ſit minuēda potētia, paulatim id facere, non totam ſimul auferre: nobilium vti conſuetudine, populares indulgenter tractare. Regnum autem conſeruatur, ſi medium teneat, nec nimis multa ſuo arbitrio gerat, exemplo Theopompi Lacedæmoniorū Regis, qui Ephoros ad regiam poteſtatē licentiāque temperādam inſtituit: Romulus Senatores: populus tribunos: ſic in Gallia noſtra ſupremæ curiæ.

Illud etiam Regi commune eſt, ne quē

nimis magnum faciat, aut faciat pluris: ne contumelia homines ambitioſos afficiat: veneri ita ſeruiat (ſi id Chriſtiana ratione liceret) vt amore ductus, nō potentia vſus fuiſſe videatur.

Tria igitur ſunt potiſſimùm, quæ ſubditos ad cōſpirationē in Reges & Monarchas mouere ſolent, iniuria, timor, & contemptus: interdum etiam, ſi quis fuerit fortunis ſpoliatus.

Cæterùm regna etiam hæreditaria interdum per contemptum eorum euertuntur, qui regno impares & indigni ſuccedunt, vt apud Paulum Æmilium, Gaguinum & alios, videre licet.

In ſtatu autem populari, & in paucorum potentia ſeu dominatu, fit hæc ſeditio, mutatio, & aberratio: dum qui ſunt vtcunque pares, hi ſimpliciter ſe pares eſſe putant: qui quadam ex parte ſuperiores ſunt, ij prorſus ſuperiores ſe eſſe arbitrantur: tùm alteri, quaſi pares ſint, paria cuncta ſibi tribui oportere credunt: alteri velut ſuperiores ſint, maiorem partem vendicare ſibi moliuntur: ita fit, vt, cùm vtriſque pro ſua opinione reſpublica non communicatur, ſeditiones

tiones

tiones oriantur, & mutationes in republica: vt ex vno ſtatu fiat alter, ex adminiſtratione populari, paucorum potentia, aut econtrà: vel paucorum potentia, monarchia retēta, vel ad partem aliquam rei publicæ variandam, vt ad magiſtratum aliquem conſtituendum, aut viciſſim antiquandum.

Mutantur etiam paucorum potentiæ, ſi iniuria inferatur multitudini cōtentione, pauperum opera, aſſentatorum popularium improbitate: qui priuatim calumniando, eos vires conferre, ac inter ſe conſpirare cogunt. Nam cōmunis timor, etiam inimiciſſimos conciliat: deinde ſi, vt populo gratificetur, diuites dāno, vel iniuria afficiātur: vel inducta bonorum æquatione, vel vectigalibus inſtitutis, aut magiſtratibus mercede. Sed & qui patrimonia intemperatè conſumpſerunt, rebus nouis ſtudere ſolent. Huc addendum, cùm ij qui regunt, vel etiam magiſtratus, non ſolùm ciues inter ſe diſſidēt, ſed etiā à rebus publicis animos auertūt. Ideò ſi magiſtratus, per libidinē aut contemptum, contumeliam inferant, aut habeant quæſtui rempublicam, aut bona

priuatorum inuadant, ea non ſolùm in magiſtratus mouent odia, ſed etiam in ipſam rempublicam, quæ magiſtratibus eam licentiam tribuit. Sed & cùm honore magis digni alios inferiores ſe videant in dignitate conſtitutos, vel quibus honores nō communicantur, ſperni ſe putant, vel cùm aliqui præter meritū honorantur, vel ſunt inhonorati, vel propter timorē, cùm aliqui timēt, ne pœnas illatarum iniuriarū luere cogantur. Aut generis diuerſitatem, nam vt ciuitas non ex quauis multitudine fit, ſic non efficitur in qualibet, nec quolibet tempore. Ideo qui aduenas antehac, vel diuerſę religionis in ciuitatem receperunt, ſeditionibus aliquando iactati ſunt. Sunt etiam alij infiniti caſus, quos nunc non eſt tractandi locus. In ſtatu optimatum quędam etiam ſeditiones exiſtūt, quia pauci ſunt qui honoribus fungantur, vel cùm præter optimates ſunt alij in ciuitate, qui ſe illis virtute non inferiores eſſe putant, vel cùm viri magni, & virtute nō inferiores, indignè, & cū dedecore, ab aliquibus tractantur: vel cùm alij nimia paupertate depreſſi ſunt, alij magnas opes habent: hi ditiſ-

ſimi, illi pauperrimi.

Ex his videre licet, quanta mala rebuſpublicis inferantur ex ſeditionibus, & bellis ciuilibus ac diſſenſionibus, etiamſi bellum præcipuè non fiat in damnum reip. hæc not. iuris noſtr. interpretes in. §. ſiquis igitur. in auth. de monach. col. 1. l. fin. §. plané. C. de his qui ad eccl. confug. Et ait Albericus in l. ſi quis ingenuam. §. in ciuilibus. ff. de capt. & poſtlim. reuer. multa damna proueniſſe & prouenire ex diſcordiis ciuilibus. Impediri enim ius reddi, facilè ſcandala oriri, odia ſuſcitari, malis moribus aditum dari, adulteriis, homicidiis, furtis, rapinis, incendiis & inſidiis audaciam præſtari: denique vniuerſum reip. ſtatum plerunque peruerti. Vt not. noſtri in l. 1. C. de vet. iur. enucl. cap. fin. ex. de ſepult. cap. in noſtra, de iureiur. cap. ad apoſtolice de re iudic. in vj. c. Piſanis. ex. de reſtitu. ſpolia. Ideo dicitur ſeditionis delictum ſcelus graue & crimen enorme, vt etiam notant ad illud Lucæ xxiiij. cùm Iudæi falsò Dominũ accuſant, quaſi populum commouentem. & Actuũ xxiiij. quapropter non debet ciuitatis ſtatus vnius voluntate turbari. ca. quæ con- *Mala ex ſeditionibus.*

tra mores: viij. diſt. ne totius reipublicæ neruus totáque diſciplina peruertatur. Sic Romæ poſtquã ſeditiones ortæ ſunt agente Mario contra Syllam, Catilina cõtra Sertorium aut Ciceronẽ, Cæſare cõtra Pompeium, infinita ſcelera, innumeræ cædes ciuium ſecutæ ſunt. vide plura apud Iuſtinum lib. 4. Cornelium Tacitũ cap. 19. Valerium Max. lib. 9. cap. 7. Liuium, Florum, Herodianum, Appianum paſſim. Et ex noſtris, Paulum Aemil. Gaguinum, & alios. Sed & in ſacris paginis Iudic. xij. 1. Eſdræ 4. ij. Mach. xiiij. Addemus in hac iuris diſciplina Boherium Bart. Bonifac. de Vitali. & alios. Ideò Baldus in. §. prætereà de prohibita feudi alienat. per Federic. tantam eſſe ait huius delicti malitiam, vt nulla ſit res tam magna, quæ per ſeditionem non fiat parua. Quapropter tria potiſſimùm damna in ſeditionibus notari: quòd vitam, liberos, & bona omniũ in diſcrimine conſtituãt, quod indiſcriminatim, mali in omnes ſæuiant alterius factionis, non ſexui, nec ætati, nec dignitati parcentes, & omnia tandem in perturbationem & confuſionem trahant: quibus malis imbutus ani-

mus malus, difficilè obliuiſcitur partialitatis, in qua educatus & inueteratus fuit. Multas autẽ alias ſeditionum cauſas quidam ex noſtris vir benè doctus gallico ſermone expreſſit, quas hîc inſerere operæprecium non eſt.

Denique, dicendum quomodo ſeditio ſedetur & puniatur. Sedari autem poteſt variis modis, & potiſſimũ Dei Optimi Maximi, pacis authoris, beneficio, qui Aſtrçam è cælo iterum in terram demittit. Verùm, ne ſacra, ſi fieri poteſt, his profanis ſeditionibus miſceamus, humani modi tractandi ſunt, qui etiam Dei auxilio ſolo nituntur, atque illud primum eſt, Authoritate viri grauis, vt ait Virgilius, *Seditio quomodo ſedatur.*

Ac veluti magno in populo cùm ſæpè coorta eſt
Seditio, ſæuítque animis ignobile vulgus,
Iámque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate grauem ac meritis, ſi fortè virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectíſque auribus adſtant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Comparat, inquit illic Seruius, mare turbidum vel commotum, populo furẽti: vt vbi eſt frequens populus, ibi crebra

ſit ſeditio. Et ſicut populus furens motus grauitate viri, quieſcit: ita mare, authoritate rectoris, quieuit.

Sic cunctus pelagi cecidit fragor.

Seditio enim vel ciuilis diſcordia, vt aliquo impetu mouetur, ita pōdere & grauitate prudentis tēperatur. Et quāuis imperita multitudo perturbatione potius rapiatur, quàm ratione ducatur: tamen huiuſcemodi tumultus eloquentia & authoritate grauium virorum, ſæpenumerò ſedatos eſſe memoriẹ proditum eſt. Ea autem comparatione oſtendit Virgilius, cuius meriti & grauitatis debeat eſſe is qui in ciuitate ſua princeps eſt. Nam cùm ad ferrum & furorem ventum eſt, ſi virum meritis præſtātem audierint, eius ſẹpiſſimè dictis, magna ex parte acquieſcūt, & ſedantur.

Ad rem facere videtur quod ait Flaccus, dum queritur, bellis ciuilibus nullū imponi finem.

Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas:
Suis & ipſa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marſi,
Minacis aut Hetruſca Porſenæ manus,

Aemula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Nouiſque rebus infidelis Allobrox,
Nec fera cærulea domuit Germania pube,
Parentibúſque abominatus Hannibal:
Impia perdemus deuoti ſanguinis ætas,
Feriſque rurſus occupabitur ſolum.
Barbarus heu cineres inſiſtet victor, & vrbem
Eques ſonante verberabit vngula,
Quæque carent ventis, & ſolibus, oſſa Quirini
Nefas videre, diſsipabit inſolens.
Fortè quid expediat, cõmuniter, aut melior pars
Malis carere quæritis laboribus,
Nulla ſit hac potior ſententia: Phocæorum
Velut profugit execrata ciuitas:
Agros atque lareis proprios, habitandáque fana
Apris reliquit, & rapacibus lupis:
Ire, pedes quocunque ferunt, quocũque per vndas
Notus vocabit, aut proteruus Africus. &c.

Maximo, inquit Iul. Cap. (& hic erit alius modus) ad bellum profecto, Romæ Prætoriani permanſerunt, inter quos & populum tanta ſeditio fuit, vt ad bellum inteſtinum veniretur, vrbis Romæ pars maxima incẽderetur, templa fœdarẽtur, omnes plateæ cruore polluerentur: cùm Balbinus homo ſenior, ſeditionem ſeda-

re nõ poſſet. Nam & in publicum proceſſit, manus ſingulis quibuſque ſuſtinuit, & penè ictum lapidis paſſus eſt. Alij dicunt etiam fuſte percuſſum eſſe, neque ſedaſſe tumultũ, niſi infantem Gordianum purpuratum ad populũ, longiſſimi hominis collo ſuperpoſitum, produxiſſet: quo viſo, populus & milites vſq; adeò placati ſunt, vt amore illius in cõcordiam redierint.

Huc pertinet quod ſcribit Philoſtratus: Cùm aliquando Apollonius (inquit) veniſſet in ciuitates ſeditionibus laborantes, quæ ſpectaculorum, & rerum minimè honeſtarum cauſa diſſidebant, accedẽs ad populum, ſéque ipſum palàm oſtentans, & quam animo conceperat aduerſus eos dicendam obiurgationem, manu; vultúque ſignificans, illorum ſedabat diſcordias. Spectaculorũ enim aut equorũ cauſa diſſidentes cõponere, non magni laboris eſt: nã qui ob huiuſmodi leues cauſas in ſeditionem veniunt, ſi fortè virum quempiam grauem intueantur, pudore correpti, ad ſanam mentem facilè redeunt. Cæterũ fame oppreſſam ciuitatem non facile eſt verbis perſuadere, & eſurien-

eſurientium iracũdiam oratione compe-ſcere: attamen etiam erga eos, qui tali incommodo premebantur, ſilentium effecit Apollonius. Quicquid enim vbique erat frumenti, pauci diuites, & in ciuitate potentes, collectũ ſeruabant, vt quo vellent pretio illud populo vẽdere poſſent. Multitudo autem cuiuſque ſexus, & ætatis, aduerſus ciuitatis principem cõuenerat, & iam accenſo igne viuentem illum ſeſe crematuros minabantur, quãuis ipſe ad aſylum confugiſſet: accedẽs autem ad ciuitatis principẽ obſeſſum Apollonius, cùm is iniuſtè factum à ſe nihil reſponderet, iniuſtè autem à populo cõprimi: cõuerſus ad multitudinem Apollonius, ne quid temerè facerẽt, vtque principis excuſationes audirent nutibus monuit. Illi autem viri tãto timore ac ſtupore perciti, non modò ſilentium tenuêre, verũ etiam ignem, quem ferebant, in proximã aram depoſuerunt. Ille autem frumenti mercatores ita monuit, vt ſeditio pacata ſit: quẽadmodũ illic amplius videre eſt. Itẽ alio in loco cùm Syriæ præfectꝰ ſuſpiciones ciuibus inſerẽs, Antiochiam ad ſeditionẽ contuliſſet, ciuitas omnis in duas

partes diuiſa ſeceſſerat: ingẽti autem terremotu coorto, vniuerſi perterriti ſunt. Accedens itaque Apollonius, Deus, inquit,manifeſtè vobis cõcordiæ ſequeſter, ac mediator extitit: vos autem, ſi ſapitis, non iterum poſthac diſſidebitis,talia metuentes:monuítque,vt cogitarent,quídnam ob ſeditiones eſſent paſſuri ,vtque aliorum exemplis moniti, ſibi ipſis cauerent & conſulerent.

Menenius Agrippa vir facundus, populi à patribus defectionem, & magnam in vrbe excitatam ſeditionem, qua plebs in Auentinum & ſacrum montem ſeceſſerat, ſimilitudine membrorum corporis , in ventrem conſpirantium , & comparãdo, quàm inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in patres,mẽtes hominum commotorum flexit,nec tantùm Sicinium ſeditionis authorem , ſed etiã eos omnes qui ſeditionem maturauerãt ſedauit, vt amplius lib. 2. ab vrbe condita Liuius tractat.

Sedatur etiam authoritate ſuperioris vel magiſtratus, vt de ea ſeditione idem author eſt,quam ob æs alienũ à militibus contractum excitatam fuiſſe ſcribit:quan

uis enim nullo deeſſet loco, ſeditionis voluntarius comes, Conſul tamen, miſſo ſenatu, in cõcionem prodire nõ dubitauit, ubi curę eſſe patrib⁹ oſtẽdit, vt cõſulatur plebis concioni, deinde edicto addidit fidem, ne quis ciuem Romanum vinctum aut clauſum teneret, quominus ei nominis edendi apud Conſules poteſtas fieret.

Addemus hîc quòd Plato epiſtola 7. Nullum fore finem ſeditionum, malorũque ex ſeditione naſcẽtium ait, priuſquã illi qui vicerint prælio, à cædib⁹ pulſionibúſque ciuium, atque etiam iniuriarum cõmemoratione vindictæque cupiditate temperantes, inimicis cõcilientur, ſuíque ipſius cõpotes fiant: prætereà leges ferãt communes, nihilo magis ad voluptatem ſuam, quàm eorum quos vicerunt, cogãtque illos his legib⁹ vti. Cogant inquã gemina neceſsitatis via, metu ſcilicet & pudore. Metu quidem, proptereà quòd potẽtiores ſunt: pudore, ex eo quod rurſus potentiores promptioréſque appareant, tùm in voluptatibus ſuperandis, tùm in legibus obſeruandis, vt eo loco amplius videre licet. Sedatur etiã authoritate magiſtratus, vel ſuperioris, vel ar-

mis contrariis, vt variè, exemplis ex Liuio, Cornel. Tacito, Salluſtio, Spartiano, Lampridio, ac etiam ex domeſticis noſtris deprehendi poteſt.

Pœna ſeditioſorum. Poſtremò de pœna ſeditioſorum agẽdum. Nam aliquis vt ſedandæ, ita vindicandæ ſeditionis modus eſt. vt not. l. 1. ff. ad l. Iul. maieſt. Cúmque ſingulis concedendum non ſit quod authoritate publica, vel publicè per magiſtratum fieri oportet, ne detur occaſio maioris mali. l. non eſt ſingulis. ff. de regu. iur. l. penult. D. ad l. Corne. de ſicar. Ideo quòd quis priuata authoritate auſus eſt in ſeditione mouenda, publicè propter exemplum etiam à magiſtratu vindicandum eſt. Seditioſos enim diligentiſſimè conquirẽdos, & quãto citius fieri poteſt, puniendos eſſe reip. intereſt. Ideóque Modeſtinus in l. conſtitutiones. ff. de appell. Conſtitutiones, inquit, quæ de recipiendis necne appellationibus loquuntur, vt nihil noui fiat, locum nõ habent in eorum perſonas, quos damnatos ſtatim puniri reip. intereſt, vt ſunt ſeditionum concitatores, vel duces factionum. Nam vt oratione Diui Marci expreſſum eſt: Tametſi prouocantis ap-

pellatio non fuerit recepta, pœna tamen ſuſtinēda eſt quoad princeps reſcripſerit: niſi fortè latro manifeſtus ſit, vel ſeditio prærupta, factióque cruenta, vel alia iuſta cauſa, quam mox præſes literis excuſauerit, moram non recipiat: non pœnæ feſtinatione, ſed præueniendi periculi cauſa: tunc enim punire permittitur, deinde ſcribere. l. ſi quis filio. §. hi autem. ff. de in iuſt. rupt. & irrit fact. teſtam.

Porro cùm pœnæ omnes hodie ſint arbitrariæ, Vlpian. in l. hodie. ff. de pœnis: in eis cōſideranda ſunt ea quæ in l. aut facta eodem titulo referuntur. Aut facta, inquit I. C. puniūtur, vt furta cædéſque: aut dicta, vt conuitia, & infidæ aduocationes: aut ſcripta, vt famoſi libelli: aut coniurationes, & latronū concilia, quóſque alios ſuadendo iuuiſſe, ſceleris eſt inſtar. Et hæc quatuor genera conſideranda ſunt ſeptem modis, cauſa, perſona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu. Ideóque vix certa regula conſtitui poteſt de pœna ſeditioſorum, cùm ex variis rerum, locorum, temporum circunſtantiis, omnia tēporibus mutata ſint, variáſque vices habuerint. Cicero. lib. iij. de legib. ait

quatuor eſſe leges tabellarias. Quarum tertia eſt Carbonis de iubendis legibus, ac vetandis, ſeditioſi atque improbi ciuis, cui ne reditus quidem ad bonos, ſalutem à bonis potuit afferre.

Imprimis tradunt omnes, eam ſeditionem quæ in principem fit, vel remp. & ad legem Iuliam maieſtatis pertinet, pœna læſę maieſtatis puniri, capite & vita priuari, etiam inſigni illo ſupplicio quod Tullius pro Roſcio Amerino refert, vel alio ſingulari.

Maieſtatis autem crimen eſt, ait Vlpianus, quod aduerſus populum Romanum, vel aduerſus ſecuritatem eius committitur: quo tenetur is, cuius opera, dolo malo conſilium initum erit, quo armati homines cum telis, lapidibúſue, in vrbe ſint, conueniántue aduerſus rempublicam: locáue occupent, vel templa, quóue cœtus conuentúſue fiat: hominéſue ad ſeditionem conuocentur: cuiúſue opera & conſilio, dolo malo factum eſt, quo quis contra remp. arma ferat: quí ue hoſtibus populi Romani nuncium, literáſue miſerit, ſignum dederit, fecerítue dolo malo quo hoſtes populi Romani, conſilio iuuē

tur aduerſus remp. quíve milites ſolicitauerit, cõcitaueritve, quo ſeditio tumultúſve aduerſus remp. fiat. Addit Scæuola, cuiúſve dolo malo exercitus populi Romani in inſidias deduct⁹, hoſtibúſue proditus erit, &c. Huius pœna recentior per Impp. Arcad. & Hono. C. ad l. Iul. maieſt. his verbis cõplectitur: Quiſquis cum militibus, vel priuatis vel barbaris, ſceleſtam inierit factionẽ, aut factionis ipſius inierit ſacramentum, vel dederit: ipſe quidẽ vt pote reus, gladio feriatur, bonis eius omnibus fiſco noſtro addictis. Filij verò omnium, etiam proximorum, hæreditate ac ſucceſſione habeantur alieni: teſtamentis extraneorum nihil capiant, ſint perpetuo egentes, infamia eos paterna ſemper comitetur, ad nullos prorſus honores, ad nulla ſacramenta perueniant: ſint poſtremò tales, vt, his perpetua egeſtate ſordẽtibus, ſit & mors ſolatium, & vita ſupplicium. Idem etiam de ſatellitibus, conſociis ac miniſtris, filiíſque eorum ſimili ſeueritate cenſet. Sanè ſi quis ex his in exordio factionis initæ, ſtudio veræ laudis accenſus, initam prodiderit factionẽ, honore & præmio donabitur: is verò qui vſus

fuerit factione, ſi ſerò cõſiliorum arcana patefecerit, abſolutione tantùm, ac venia dignus cenſebitur.

Alia eſt ſeditio, quæ ad legem Iuliam de vi publica pertinet, qua tenẽtur ij qui turbæ, ſeditioníſue faciendæ conſilium inierint, hominésve in armis habuerint, vel qui peſſimo exemplo conuocata ſeditione villas expugnauerint, & cum telis & armis bona rapuerint. Qui cœtu, concurſu, turba, ſeditione, incendium fecerint.l.iij.l.qui cœtu.ff.ad leg.Iul. de vi public.huius pœna eſt aquæ & ignis interdictio l.qui dolo.ff.ad l.Iul.de vi publ.In cuius locum ſucceſſit deportatio l.iij.ff.ad l. Iul. pecul.§.item lex inſtit.de public. iud.

Huc accedit vis armata, vt ſi quis cõuocatis hominib⁹ vim fecerit, quo quis verberaretur, pulſaretur, neque homo occiſus erit. Et de ví priuata dánati, tertia pars bonorum pœna eſt.

Extat liber qui vulgò Caroli Magni capitulare inſcribitur de legibus Longobardorum. In eo ſunt tituli, de ſeditione contra iudicem vel ciuitatem leuata: de ſcandalis & cõpoſitionibus ad regẽ pertinẽtibus, de aggreſſiõe in vico facta: & de collectioni-

lectionibus & armis contra patriam non portandis vel ad placitum, & multa alia in quibus diuerſimodè contra ſeditioſos prouiſum eſt, & plerunque capitis periculo.

Eſt & ſeditio quæ fit in acie,ſeu exercitu belli per milites,deliberato propoſito & dolo,quæ capite punitur, vt de Manlio Manlij Torquati filio refert Liuius.Sed ſi per laſciuiam aliquibus rixantibus,vel vociferantibus,aut leuem diſcordiam habẽtibus, miles fecerit ſeditionem, militiæ gradu priuatur: vt ab Alexand. apud Iuſtinum lib.xij.factum eſt:quod & Hierony. epiſtola xvij. in iij.parte l. notat Modeſtinus in l. iij. §. qui ſeditionem.D. de re milit.Qui ſeditionem, inquit, militum atrocem concitauit,capite punitur.Si intra vociferationem, aut leuem querelam ſeditio mota eſt, tunc gradu militiæ reiicitur.

Iulius Capitolinus in Macrino. Cùm ſeditiones, ait, militares pateretur, milites ſæpius decimauit,aliquando etiam cẽteſimauit:quod verbum proprium ipſius eſt, cùm ſe clementem diceret, quando eos centeſimaret qui digni eſſent deci-

matione aut viceſimatione.

Chaſſaneus in titulo, *Des Iuſtices*, ſeditioſos ait morte mulctandos, qui ciuitatẽ, vel populum ciuitatis concitãt, ad rumorem clamãdo, viuat, vel, moriatur. Alberic. in l. capitaliũ. §. ſolent. D. de pœnis, æquè puniendum cenſet facientem inſultum in ciuitate, turbulenter acclamando *à l'arme*, niſi iuſtã acclamandi cauſam habeat. Bart. in. l. prohibitũ de iure fiſc. lib. x. C. barbat. conſil. lxxij. in. ij. volum. Decius in l. nõ eſt ſingulis. D. de reg. iur. not. in l. conuenticula. C. de epiſc. & cler. in verbo, tumultuoſa, vbi gl. citat. l. denũciamus. C. de his qui ad eccle. cõfug. l. iij. C. de hæret. l. i. de paga. Bonifac. de vita. cenſet capitali pœna plectendos, qui proditionem loci tractant, vel quid ſimile patrant, l. i. & ij. C. de ſeditio. l. proditores. C. de re milit. l. penult. ad leg. Iul. maieſt. Sed & agentes & conſentientes, cùm ad actum peruenerint, opem, operam, auxilium, conſilium dando, ſimili ſupplicio damnantur: vt not. in l. non ideò. C. de accuſat. l. is cuius. D. de ſicar. Alii verò, prouocantes tumultum pro qualitate dignitatis, & aliis circunſtantiis,

vel furca, vel deportatione, aut alia grauiori, aut leuiori pœna puniri ſentiunt. not. in l. ſi quis aliquis. §. authores. D. de pœnis. Authores ſeditionis & tumultus, inquit Paulus, pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut beſtiis ſubiiciuntur, aut in inſulam deportantur.

De pœna autem tumultus in ſacris locis, eſt ſub titulo in Codice noſtro de his qui ad eccl. cōfug. lex quarta Martia. Imp. ad populum, quæ ſic habet: Denunciamus vobis omnibus, vt in ſacroſanctis eccleſiis, & in aliis quidem venerabilibus locis, in quibus cum pace & quiete vota competit celebrari, abſtineatis ab omni ſeditione: nemo conclamationibus vtatur, nemo moueat tumultum, aut impetum committat, vel cōuenticula, collecta multitudine, in qualibet parte ciuitatis, vel vici vel cuiuſcūque loci colligere ac celebrare conetur. Nā ſi quis aliquid cōtra legem à quibuſdam ſibi exiſtimet perpetrari, liceat ei adire iudicem, & legitimū poſtulare præſidium. Sciant ſanè omnes, quòd ſi quis cōtra huius edicti normam, aut agere aliquid, aut ſeditionem mouere tentauerit, vltimo ſupplicio ſubiace-

bit. Et Pelagius pp. in can. de Liguribus xxv. q. v. Multæ conſtitutiones ſunt, inquit, quibus euidenter agnoſcitur, facientes ſciſſuras in eccleſia, non ſolùm exiliis eſſe mulctandos, ſed etiam proſcriptione rerum, & dura cuſtodia per publicas poteſtates eſſe coercendos. Nolite ergò dubitare huiuſmodi homines principali vel iudiciali authoritate comprimere, quia regulæ patrum hoc ſcienter conſtituerũt, vt ſi qua perſona eccleſiaſtici officii ſchiſma fecerit, iſte excommunicetur, atque damnetur. Et cũ à tribu Iuda, & Bẽiamin decem tribus ſciſſæ eſſent, & relicto rege ſuo, alterum ſibi conſtituiſſent, indignatus Dominus omni ſemini Iſraël, eos dedit in direptionem, iij. Reg. xij. cap. Sed & conſpiratores à teſtimonio repelli tract. Inno. in c cùm. 1. de re iudic. Bald. l. 1. §. conuenticula de pac. iuram. fir. niſi produceretur, vt coniurationem detegeret. c. fin. de teſtib. cogend. gl. c. veniens de teſtib. Ipſos etiam excommunicatos eſſe not. in c. vij. xi. q. iij. Et ſecundum leges Longobardorum, qui author ſeditionis fuerit, capite punitur, cæteri qui in ſeditionem cõcurrerũt,

mulcta damnantur.l. ſi pro quacunque.l. penult. de aggreſſ. in vic. fact. authores enim grauiùs puniendi ſunt, Veritate dicēte, Qui tradidit me tibi, maius peccatū habet. Falluntur ergo qui ſeditioſos morti tradendos negant, cùm tam multis iuribus expreſſum ſit. Neque obſtat.l.capitalium. §.ſolent.ff.de pœnis. Nam illic de puerili tantùm calore agitur, vel in leuioribus rebus, de quibus etiam. c. in nomine.xxiij. diſtinct. Ait enim Calliſtratus, Solent quidam, qui vulgò ſe iuuenes appellant, in quibuſdam ciuitatibus, tùrbulentis ſe acclamationibus accommodare: qui ſi nihil amplius admiſerint, nec antè ſint à præſide admoniti, fuſtibus cæſi dimittuntur, aut etiam ſpectaculis eis interdicitur. Quòd ſi ita correpti in eiſdem deprehendantur, exilio puniendi ſunt, nunnumquam capite plectendi, ſcilicet cùm ſæpius ſeditioſè & turbulenter ſe geſſerint, & aliquoties apprehenſi. tracta ti clementius, in eadem temeritate propoſiti perſeuerauerint.

Eſt & ſeditio à populo, collegio, capitulo, vniuerſitate vel alio corpore. Et cōſtat cùm agitur de ſeditione facta in ciui-

tate in omittendo, totum collegium & corpus puniri.l.iubemus nullam.C.de ſacroſanct. eccl. quia licet negligentia rectorũ ciuitatis hoc contingat, tamen eorum negligẽtia ad omnes pertinet, & nullum excuſat.l.procurator.§. ſi tutores.ff. mand.Cy. in l. ſi quis in tantum.C. vnde vi. Bart.in l.aut facta.§.nonnunquam.ff. de pœnis. Si verò fiat in committendo, tũc aut per modum vniuerſi, vt quia fuit facta conuocatio aliquo ſigno, vel ſono tubæ & campanæ, & dicitur vniuerſitas delinquere, quia deliberato conſilio ad id agendum proceſſit.l.ij. de decurio.lib. x.C.l.ſemper.§.ſi in ſepulchro.ff.quod vi aut clam.l.ſi ex dolo.§.j.ff.de dol.l.aliud. §.refertur.ff.de reg.iur.l.ſicut.ff.quod cuiuſque vniuerſ.no.& eo caſu vniuerſitas punitur. Nempe ſi pœna delicti eſt realis, & non cadat in ſingulos, ſicut in ipſa vniuerſitate, vt cùm publicantur res ex delicto, ſi illa res eſt vniuerſitatis, ipſum corpus punitur.d.l.iubemus. not.c. cùm dilectus.extr.de offic. ordin. Sed ſi pœna cadat in ſingulos, vt pœna certæ pecunię, vel quantitatis, ſi collegium paruum eſt, puniuntur delinquentes qui poſſunt fa-

cilè cognoſci : at ſi ſit magnũ, vt non poſſint cognoſci, omnes puniuntur. l. j. in princ. ff. de magiſtr. conueni. c. vbi periculum. §. ciuitas. de electio. in vi. Imò, cũ delictum eſt graue, vniuerſitas in corpore punitur, vt in Carthagine aratrum paſſa. l. ſi vſusfructus. ff. quib. mod. vſusf. amitt. c. ſi audieris. xxiij. q. v. Sic Deus Sodomã & Gomorram deleuit : ſic Romani Carthaginem : ſecus in criminibus non ita atrocibus : imò ſemper cùm authores ſeditionis apparẽt, illi ſoli puniãtur. l. quoniam multa. ff. ad leg. Iuliã. de vi public. d. l. ſi quis. §. authores. ff. de pœnis, vbi Barto. & alij. Verùm quando incidenter tumultus ſuperuenit debet mitius puniri pœna pecuniaria. Ang. in l. ij. C. de ſeditio. l. ſi quis ingenuam. §. in ciuilibus. ff. de capti. Nam ait Bald. in l. j. ff. de iuſt & iur. cùm lex municipalis punit turbãtem ſtatum ciuitatis, intelligitur, ſi principaliter hoc agit : ſecus ſi veniat in cõſequentiam alterius delicti, quia debet attendi quod principaliter agitur. l. ſi quis. ff. ſi cert. pet. ſic arreſto ſenatus iudicatum fuit pro vniuerſitate Aurelianenſi, contra quoſdam particulares eiuſdẽ ciuitatis ciues. Aufr.

in ſtil.Parlamen.in iiij.part.§.lxxvj. Ioan. Gall.quæſt.cxxj. Et ſi prius admoniti fuiſſent, durius puniendi eſſent, vt not.c. ſi quis clericum.xj.q.j.

Iure Pontificio, quo gladio non vtuntur, vt iam attigimus, ſi clerici ſunt, prohibentur ad ſacros ordines promoueri. c. ſeditionarios. 46. diſtinct. & iam promoti priuantur honore.c.cõiurationum. xj.q.j. Et ſi ſint incorrigibiles, brachio ſeculari tradendi ſunt.gl.c.fin. de teſt.cogẽ. ſi ſint laïci, excommunicantur, & libra auri puniuntur.§. conuenticula.§. epiſcopus, de pace tenend. Sed ſi fiat ſeditio in eccleſia, per laïcos vltimo ſupplicio puniendi ſunt.d.l. denunciamus c.principatus. 1.quæſt.1.

Planè hoc loco nõ cumulabimus, quæ de diuiſionib9 ĩ ſacris Bibliis tradita ſunt: hoc tantùm dicam, ſtatim poſt prædicatum Euangelium ſectas & diuiſiones inter Chriſtianos ortas eſſe, vnde tã erroneæ hæreſes & opiniones, quæ multas magnáſque regiones & vrbes, ſua contagione conturbarunt, & infecerunt. Nihil enim in rebus humanis peſtilentius praua doctrina, pro cuius aſſertione conſtat

ſtat, omnes hæreticos, ſeditionis cupidos fuiſſe, neque a 'iud affectaſſe, quàm vt errorem ſuum ſeditione & tumultu publico tuerentur & defenderent, latiſſiméque propagarent. Nam eorum author ſathan, mendax pariter & homicida eſt: vtrunque enim in ſchiſmaticis vſurpatum, vt ſimul falſa docerent, & cædem per ſeditiones & perturbationem rerumpublicarum excitarent.

Verumenimuerò hęreſis vocabulũ aliquando honeſtum fuit, ab eligendo dictum, quòd quiſque eligat quæ ſequatur vitę inſtituta, vt fuerunt philoſophorum ſectæ. Sic Iudæorũ populus, quãuis eandem amplecteretur legem, in varias tamen diuiſus eſt ſectas, in Phariſæos, Eſſenos, Samaritanos, Saducęos, Nazarenos, & Herodianos: quod & in populo Chriſtiano contigiſſe conſtat. Verùm cùm habeamus Chriſtum noſtræ religionis authorem, cuius diſcipuli acceptam à Domino diſciplinam fideliter tradiderunt, nihil nobis aliud eligere vel introducere licet: & ideò verbum hęreſis impium & inhoneſtum haberi cœpit, cùm quis ſectam aliquam inſtituit, vel ſequitur reli-

gioni noſtræ aduerſam: vt fecerunt, Symon Magus, Menander, Nicolaus, Cerinthus, Baſilides, Cerdo, Marcion, Valentinianus, Mõtanus, Apelles, Sabellius, & ſimiles. A quib⁹ priuatorũ hominũ opinionibus, itũ eſt ad publica diſſidia, tum vel maximè, cùm ij qui ſacra profitebantur, ea prophanis miſcere voluerunt, & de bonis priuatorum, poſseſsione & dominio, de contractibus & politia externa diiudicare, ipſámque politicã tractare, cùm multum diuerſa ſint. Conſtat enim politicam continere generalia præcepta de ordinatione ciuitatis, vt de cõtractibus, tutelis, rerum diuiſione, poſſeſſione, dominio, ſucceſſione, pœnis, iuriſdictione, & aliis: & ideò differre à diſciplina euangelica, quæ iuſtitiam æternam patefacit, & internam, quam corda cõcipiunt: hæc enim vbique eadem eſt, vbique eadem ſtat, vſque ad conſummationem ſeculi. Sed politica, quæ de actione externa in vita tractat, diuerſa eſt, pro locorum diuerſitate: non enim iudicia, magiſtratus, commercia, æquè tractãtur apud omnes. Aliæ ſunt leges apud Perſas, aliæ Romæ, aliæ Athenis. Et quemadmodum Chri-

ſtianus aliâs alio veſtitu vtitur, ita licet ei vti cuiuſcunque loci politia. Eſdras apud Perſas iudicat res ex Perſicis legibus, Hieroſolymis ex Iudaïcis: Centurio in Iudęa Iudaïcis legibus vtitur, Romæ Romanis. Nec magis iſta ad Euangelium pertinent, quàm veſtitus, vel ipſa dierum ſpatia. Verè ergò ſeditioſi ſunt, qui cùm euãgelium profiteantur, irrumpũt in alienã functionẽ, ferunt leges de diuiſione hæreditatum, de contractibus & ſimilibus, vt Anabaptiſtæ & ſimiles, quæ iudicia damnãt, decimas, vectigalia, & alia iura, ſoluenda eſſe otioſis negant. Hi errores multum perturbant tranquillitatem publicam. Tenẽdum ergò Euangelium ad cordis iuſtitiam pertinere, non autem ad ciuilem ſtatum: imò approbare omnes rerumpublicarum formas, modò rationi & iuſtitiæ conſentaneæ ſint. Sed hæc nimis multa. Nunc verò legum noſtrarum interpretationem tractemus.

Titulus ſic habet,

De ſeditioſis, & iis qui [a] plebem contra [b] remp. audent colligere.

[a] Plebis appellatione, ſine Patriciis & ſenatoribus, cæteri ciues ſignificantur. Tri-

bus ordinibus conſtabat populus Romanus, plebe, equite, & ſenatu: ſed latiori ſignificatione, plebis appellatione equites etiam continebantur.

Reſpublica propriè Romanorum erat. Et ideò bona ciuitatis (ait I.C. Vlpianus) abuſiuè publica dicta ſunt: ſola enim publica ſunt, quæ populi Romani ſunt. Ius enim imperij Romani ad populum pertinebat, donec per legem Rhenniam populus in Auguſtum Cæſarem ius omne tranſtulit: meritò ergò, quæ ad rempublicam Romanam pertinebant, publica dicta ſunt, quaſi populica. Ad Romanorum tamen ſimilitudinem, & quæ in aliis ciuitatibus communia vniuerſorum erant, publica dici cœpta ſunt. Semper enim apud quaſcunque nationes ius ſupremum populi fuit. Idque vel legis diuinæ inſtituto, qua Deus homini in cætera quidem animantia ius & dominium conceſsit, homini autem, vt alter alteri ſeruiret, non induxit, donec Regem poſtulaſſent, & in eum poteſtatem contuliſſent. Ait enim Imp. quod principi placuit, legis habere vigorem. Cùm lege regia, quæ de eius imperio lata eſt, po-

pulus ei,& in eum omne imperium ſuum & poteſtatem contulerit. Fuit ea lex non ab aliquo rege lata, ſed ſic dicta, quia per eam populus in Principem, Romanũ imperium, & talem legis condendæ poteſtatem conceſsit, qualem olim habebat. Sic ergo nõ omne imperium in principem à populo tranſlatum eſt,ſed quidã regnandi modus, quod multis annis obſeruatũ fuit. Scribit enim Saturnius, ſe Romæ in Eccleſia Lateranenſi tabulam vidiſſe, de modo &poteſtate imperandi Veſpaſiano à populo tradita. Sed cùm his nõ vtamur, latiùs non attingemus. Alia verba huius rubricæ ſuperius explicata ſunt.

Lex ergo prima eſt,

Imppp.Grat.Valent. & Theodo.A.A.A. Florentio P. V.

Si [a] quis contra [b] euidẽtiſſimam [c] iuſſionem [d] ſuſcipere plebem, vel aduerſus [e] publicam diſciplinã defendere fortaſſe [f] tentauerit, [g] mulctam [h] grauiſſimam ſuſtinebit. Dat. xiiij. Cal. Ian. Conſtantinop. [i] Richomere & Clearcho Conſul.

[a] Quis, adde, vel quæ: nam in his etiã odioſis maſculinũ continet fœmininũ, vt

not.in l.ſi quis id quod.ff. de iuriſd. omn. iud.l.1.ff. de verb.ſignific.

[b] Lex ergo tunc lata erat, & prohibitio promulgata, quod & aliis veteribus legibus cautum eſt.

[c] Iuſſionem fortaſſis pro prohibitione accipit.

[d] Non tantùm qui ſeditionem mouerit, ſed & qui plebem commotam ſuſceperit, in legẽ incidit. Tanta eſt enim ſceleris atrocitas, vt qui cùm poſſint non auertunt, vel qui fauent ſuſcipiendo, aut alio modo, delinquant.

[e] Publica diſciplina eſt, vt quiſque in officio contineatur, & in pace ſub authoritate ſuperioris & magiſtratus viuatur, vt diximus.

[f] Tentauerit. Videtur conatum punire, vt fit in grauibus.l.ſi quis non dicam.C.de epiſc.& cler. ſed hîc etiam actum includit. Ideo Fab.hîc ad verbum defendere addit de facto, vt ſecus ſit, ſi populo vtile ſit eũ commouere, vt ſi iuſtè ſe opponeret.not. l.1.C. de monop. Paul.Caſtr. Alex.Iaſ.inquiunt conatum nõ puniri, niſi in crimine læſæ maieſtatis, patriæ expugnatæ, & perturbationis ſtatus, ſed ſunt alia multa.

g Mulctã.mulcta propriè pecuniaria eſt: ſed tamen ad omnem pœnam, etiam corporis,pertinet.

h Grauiſſimam. Quidam interpretãtur mortem,alij exilium,nos pro modo delicti pœnam exiſtimabimus, tanquam arbitrariam, vt ſuprà de pœnis ſeditioſorum diximus, cùm pœnæ omnes ſint arbitrariæ:vt plurimùm autem grauiſſima pœna mors eſt.l.vltimum. D. de pœnis. not. l.ſi quis aliquid.§.2.ff.de pœnis.

i Vt Græci per Olympiadas, Chriſtiani nunc per annos Chriſti, ſic Romani per Conſules tempora computabant. Quod autem in epigraphe huius legis tres ſunt Imperatores,ſic habet, aliquot annis poſt Iulium Cæſarẽ Imperatores ipſos,& auguſtæ maieſtatis viros, alios quoq; ſibi in Imperiũ ſucceſſuros deſignaſſe, qui Cæſares dicebantur.Primum nomen Imperatoris vel Auguſti, ſi non vis militum aliud cogeret, à ſenatu proficiſcebatur: Cæſaris verò, hoc eſt, deſignati ad auguſtam maieſtatem ſucceſſoris, ab ipſo imperatore.Sæpè autem in capite legum huius Codicis ponuntur A A. & C C. quod denotat olim fuiſſe plures electos & plu-

res confirmatos, id eſt, plures Auguſtos & Cæſares. Nam & bini & terni aliquando ſimul imperarunt. Poſt. M. Antoniũ Verum Philoſophum, qui Commodum imperij conſortem fecit, bini imperarunt vt ait Spartian⁹ in eius vita. Hi ſunt quos aliquãdo Diuos fratres, Legũlatores vocant. Scribit Donatus Actiolus in vita Caroli Magni, Neruam imperatorem qui ante M. & Commo. imperauit, Traianũ imperij conſortem elegiſſe. Sed Dion in Nerua refert imperij quædam iura & inſignia ad Traianum miſiſſe, eúmque adoptaſſe, & in curia Cæſarem deſignaſſe. Sic Traianus non imperij conſors cum Nerua, ſed ſucceſſor fuit: & Diocletianũ initio imperij ſui Maximianum Cæſarem deſignaſſe Eutrop. libr. ix. meminit, & tunc conſtitutionibus à ſe factis titulum edidiſſe, Dioclet. & Maximi. A A. & C C.

Porrò Gratianus, Valentinianus ſecundus, & Theodoſius, eodem tempore imperantes, hanc legem tulerunt, Richomere & Clearcho conſulibus, qui fuit anno ab eiectis regibus 893, ab vrbe condita 1137. Olympiade 291. Et anno à Chriſto nato, 386. Et eodem ferè anno aut cir-

citer, Gratianus apud Lugdunum captus & occiſus eſt. Valentinianus autem in triennium per fœderis ſimulationem à Maximo tyranno ditione Italiæ, cæteríſque prouinciis eiectus eſt. Ideóque ſolus regnauit Theodoſius.

Lex ſecunda.

Altera lex huius tituli eſt:

Imp. Leo A. Erythrio præfect. præt.

In [a] multis locis aut ciuitatibus, tumultuoſis clamoribus, cuiuſquam interpellatio contumelioſa [b] procedat. Nec ad ſolã cuiuſque inuidiam petulantia [c] verba iactentur: ſcituris eis qui huiuſmodi voces emiſerint, mouerı́ntque tumultus, ſe quidem fructum ex his quæ poſtulant nullatenus [d] habituros: ſubdendos autem pœnis iis, quas de ſeditionis & tumultus authoribus [e] vetuſtiſſima decreta ſanxerũt. Dat. 2. Non. Mart. Conſtantinop. Leone A. vj. Conſule.

[a] Generalis lex politica eſt ad omnes imperio ſubditos, ſiue publicè, ſiue priuatim pertinens.

[b] Vt ſi quis, ait Bald. Fab. & alij, dicat ſe velle conſulem eſſe propter nobilitatem, aut aliã cauſam. l. qui cœtu. ff. de vi public.

c Hæc non tantùm ad leges publicas de ſeditioſis, ſed etiam ad priuatas de iniuriis pertinent: quatenus autem publicam ſeditionem reſpicit, de iis acclamationibus videtur agere, de quibus & Calliſtratus in l.capitalium.§. ſolent. ff. de pœnis.

d Nec enim erit conſul,vel ſi quid aliud ambiat. d.l. capitalium.§. nonnunquam. & d.l. denunciamus.

e Leges ſunt à retro principibus & ſenatu latę,quas non tantùm confirmat,ſed etiam obſeruari decernit. Hæ autem leges, hæc decreta, ſuperiùs à nobis toties repetita ſunt.

Vltimo loco, vice colophonis obſeruabis,Leonem imperatorem hanc legem tuliſſe Olympiade 313.Anno ab vrbe condita 1224. à Chriſto verò nato 473. Ideóque, vetuſtiſſima decreta, de quib9 in hac lege Imperator meminit, intelligi potiſſimùm de legibus præcedentiũ Imperatorum,qualis eſt lex denunciamus.C. de his qui ad eccl. confug. quæ eſt Martiani lex præcedens huius tituli trium Imperatorum : ea diui Marci cuius meminit.1.c. in d.l. ſi quis filio.§. ſi autẽ.ff de iniuſt.rupt. & irr.fact.teſtam.l.1.& 2.ff. ad leg. Iuliam

maieſt.l. capitalium. §. ſolent.l. ſi quis aliquid. §. authores.ff.de pœnis. & aliæ cõſtitutiones, quarum bona pars à Triboniano & collegis relicta eſt, cùm ius ciuile in Pandectarum libros & Codicem cogerent.

PETRI PICARTI ADOLESCENTIS LVTETIANI AD Authorem Carmen.

Non mihi vatis ineſt grauitas excelſa Maronis,
Nec iacet incompto tantus in ore lepos:
Naſonis nec adeſt mihi vena diſerta poëtæ,
Nec tam dulce canit noſtra Thalia melos.
Haud noſtræ vires tantas impono Camœnæ,
(Vt nequeunt cunctis omnia ineſſe viris)
Vt varios laudum titulos cumulare tuarum
Pro meritis poßim, Vir celebrande, tuis.
Id tamen ex animo aggrederer, facerẽq; libẽter,
Pro modulo & noſtri viribus ingenij,
Ni formidarem male ſani incurrere nomen,
Phœbæis addens lumina luminibus:
Nam veluti proprio ſat lumine fulget Apollo,
Nec magis illuſtrem reddere tæda poteſt:
Sic tu inter reliquos veluti quis φοῖβος ἀπόλλων
Inter celſa poli ſydera luciferi

Sat virtute tua ſplendes, & Pallade vincis
Quotquot præclaros Francia vidit auos:
Non opus eſt tibi tam tenui (præclare) camœna:
Nam celebrem reddit te tua muſa ſatis.
Nouerunt omnes, culti quiſnam impetus oris,
Quàm varia arte tuum ſplendeat ingenium:
Nouerunt omnes quanta cum laude receptum
Munus obis, quáque hoc cum probitate regis:
Nouerunt omnes quanta nunc Pallade præſtes,
Quámque ſit ingenij gloria rara tui.
Sunt noti mores, eſt virtus nota cuique,
Te faciens ſæclo nobiliore frui.
Qui propria mauis doctrinæ laude vigere,
Quàm te maiorum laus aliena iuuet.
Qui virtute tua contentus, & inde beatus,
Nil extra quæris: quod ſapientis opus.
Horum teſtis erit tuus vnicus iſte libellus,
Quem recolet ſemper ſedula poſteritas.
Peruulgata leui quo non tradenda iuuentæ
Suſcipis, aut multis quæ manifeſta viris.
Sed quæ nullus adhuc ſcriptis expreſſa reliquit,
Tradis, eo nobis enucleata libro.
Iſta tuum nomen nos pangere metra coegit,
Quæ, licet indignis fontibus hauſta, cape:
Non veluti veſtris, quas dico, laudibus æqua,
Sed certum noſtræ pignus amicitiæ.

LECTORI BENEVOLO.

Admonitũ te eſſe cupio, Lector, in hoc quantumuis exiguo, & paruulo libello, quædam errata ineſſe: non culpa typographi, hominis, ſi quiſquam alius, fideliſsimi & diligentiſsimi: ſed eius cui ſchedam in mundum ſcribendam commiſi. Nuſquam enim relegendi otium occupationes forenſes conceſſerunt. Quod vt in bonam accipias partem, & æquo animo feras, te etiam atque etiam rogo. Quædam tamen hîc repoſui, alia abſoluturus, cùm alterum, de ſeditioſis, religionis & reipublicæ cauſa, librum curabo excudendum.

ERRATA.

Fol. 2. lin. 11. lege, huius. fol. 5. pag. 2. lin. 10. lege, excitare. f. 6. p. 2. lin. 2. lege, quæ etiam cõſpiratio & coniuratio appellatur, quam Græcis φρατείαν *dici, id eſt conuenticulum, ſectam, Gratianus ex concilio Calcedonenſi ait. quamuis eum locum putem eſſe corruptum. f. 7. p. 2. l. 19. lege, inſontibus. f. 9. p. 2. l. 7. lege, vt notant D D. in l. Et lin. 8. lege, Virgiliũ. 5. Aeneid. Notũq́ue furens quid fœmina poſsit. fo. 10. l. 4. lege, eũ. & l. 9. cõuenticula & p. 2. l. 24. lege*

ad vtilitatem enim publicam. fol. 11. lin. 1. repone 2. 2. fol. 12. pag. 2. lin. 3. lege Timocratia. f. 19. pag. 2. lin. 19. lege, accipientis. fol. 21. lin. 9. expungenda virgula, & legendum, corporis. fo. 22. pag. 2. l. 22. lege, not in l. ſplendidioris. f. 24. l. 5. lege, minimè ſe cohærentibus diſsidiis, & expunge virgulam ante verbum diſsidiis. & lin. 8. lege, ex primoribus ſecuta nece. & lin. 19. lege diſſentiones. & l. 25. legè, Pompeium. & pag. 2. lin. 4. lege ſuſpiciones. & lin. 8. lege Pompeium. f. 25. lin. 5. lege Liuium & Florum. lin. 21. lege, ad. f. 27. lin. 19. lege, Curent. & lin. 21. lege, dent. &c.

F I N I S.

ANT_1318000

9785

C.24.

B
VITT.